
BIBLIOTECA NAZIONALE
6
32
B
63
VITTORIO EMANUELE

6-6-C-47



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Petrum Hackium.
Aº. cIↃ IↃCLXI.



THEOPHILI SPIZELII
DE
RE LITERARIA SINENSIUM COMMENTARIUS,

IN QUO SCRIPTURÆ PARITER AC PHILOSOPHIÆ SINICÆ SPECIMINA EXHIBENTUR, ET CUM ALIARUM GENTIUM, PRÆSERTIM ÆGYPTIORUM, GRÆCORUM, ET INDORUM RELIQUORUM LITERIS ATQUE PLACITIS CONFERUNTUR.






LUGD. BATAVORUM,
Ex Officina PETRI HACKII.
cIɔ Iɔ c L X.



CLARISSIMO VIRO

D. JO. BENEDICTO CARPZOVIO

THEOPHILUS SPIZELIUS S. P. D.



ARctiſſima illa Animorum noſtrorum neceſſitudo, mutuæ benevolentiæ nexu ſuſtentata, TUO NOMINI vendicat prima hæc SAPIENTIÆ rudimenta Gentis illius, quæ per nobiliorem poli partem longè lateque exporrecta, & per Heſperias plagas, Occiduique Solis tractus atque cardines quaqua verſum celebrata, dominationis ſuæ arcanis, & pro-

digiosi ingenii monumentis, Universi propemodum Orbis stuporem sibi conciliavit. Quoties enim venerabile illud amicitiæ nostræ pactum, aut grata mente recolui, aut memori pectore intuitus sum; toties fixam atque stabilem amoris nostri memoriam hactenus sum meditatus. Non phaleratis verbis, aut fucatis encomiis nunc celebro auspicatumLiteris Nomen, Inclytam TuamFamiliam,& omnigenæ eruditionis supellectile nobilitatam Prosapiam ; nec illustres illos abstrusioris doctrinæ Principes tango, quos Virtutis pariter ac Eruditionis fama , per splendida adeò munia, & maximâ gloriæ

præconia jam olim evectos, ad ſumma Honoris ſedilia locavit. Alta etenim Ingenii Tui Virtus, aſcititio ſplendore neutiquam contenta, fulgidam hanc Majorum gloriam non extendere ſolùm, ſed eximiæ quoque laudis iter jam feliciter ſcandere cœpit. Profundioris quippe eruditionis Tuæ fama, copioſa Linguarum ſeges, concinna Mentis venuſtas, & nobiliſſimum virtutum conjugium, docti Ordinis ſuffragia tantopere TIBI conciliarunt; ut reſurgentem Sacri Idiomatis pariter ac CARPZOVIANI Nominis gloriam, omnes in Te obſervent, æſtiment, venerentur. Ad tantam itaque,

tamq; insignem laudum Tuarum celebrationem, neutiquam conticendum fuit illi, qui sacro amicitiæ nexu magis obstrictus, singulares Animi Tui dotes hactenus admirabundus introspexit.

Vultu itaque facili dignare exiguam hanc amici pectoris notam, quâ de fulgentissimis Ingenii Tui Virtutibus Orbi Erudito; de splendore certissimo Familiæ; ac mihi denique de lucidissimis benevolentiæ Tuæ radiis publicè sum gratulatus. LUGDUNI BATAV. IDIB. AUGUSTI, cIↃ IↃ C LX.

ANAGNOSTÆ INGENUO.

*P*Rimum *in hoc genere conamen Tuo conspectui sistitur* IGNOTE FAUTOR; *Breve quidem atque rapidum, difficiliori tamen molimine susceptum. Curam verò facilè præcipuam intendimus, ne quicquam è cerebro natum, aut ambiguo rumore relatum obtruderetur, verum probatissimorum Virorum, partim in Lucem vario idiomate emissis, partim aliunde suppeditatis, atque nobiscum communicatis suffragiis stabilirentur omnia. Tum de apta serie justoq; ordine fuimus solliciti, quo Literarum diversissimarum genera; Sectarumque distinctissima-*

ſimarum placita, ad certas claſſes revocata, locoque convenienti declarata exhiberentur; exhibita tanto feliciori ſucceſſu explicarentur; explicata vero negotio faciliori apprehenderentur. Ubique tandem ΣΥΓΚΡΙΣΙΝ, *ſeu convenientem quandã collationem adornavimus, ad illuſtranda Scripturæ pariter ac Philoſophiæ* SINICÆ *myſteria, & declarandam ſuaviſſimam Ingeniorum Terrâ Mariq́; disjunctiſſimorum harmoniam. Si cui verò hæc pro ingenti illa Sapientiæ Sinicæ, hactenus tantopere celebratæ famâ, parciora videantur; is egregio certè ſtratagemate non ſolum Orbem eruditum ſibi conciliaret, verum maxima etiam*

lau-

laudum ſuarum præconia reportaret, ſi majori niſu argumentum hoc aggreſſus, à ſe deſiderata ſuggeſſerit. Interea verò hoc Catone contenti erunt illi, qui Sinicas delicias hactenus tantopere deguſtare petierunt. Tantum autem abeſt, ut ab omnicarpi Momi lividâ lingua conatus hoſce liberos fore credamus; ut potius atri illius ſerpentis venenatos morſus forti antidoto eludere decreverimus. Tu verò Anagnoſta Candide, *qui pro genuina judicii dexteritate calculum ferre noſti, hoc noſtrum ſtudium, non à tetrâ ſolum maſtygum colluvie vindicabis, verum copioſiori etiam Benevolentiæ ſcatebrâ recreabis.*

CONSPECTUS.

SECTIO I.

Sinicæ gentis eruditio. Fastus. *Serum* appellatio vetustissima. *Sinarum* nomen. Olim usurpatum à *Marciano. Ptolemæo.* Arabic. צינין. hinc ΘINAI. Bachar ESSIN seu Mare Sinicum. *R. Benj. Tudelensis* צין. *Chrysococcis* NTZIN. סינין an *Sinæ*? Locus *Es.* XLIX, 12. cum *If. Abarb. Aben-Esræ* & *Saadiæ* interpp. *Cataji* iidem cum *Sinensibus*. Harum appellationum in Linguâ Sinicâ vestigium nullum. Sinarum felicitas. Calamitas. Imperium Sinicum visitatum à *M. Paulo Veneto*. Lusitanis atque Jesuitis.

SECTIO II.

Ambitiosa Gentis Antiquitas. *Cycli* quales? Chronologia Sinica. quibus limitibus includenda? Media duo ad conciliandam Antiquitatem Gentium ex mente *G. I. Vossii*. Anni Ægyptiorum Lunares. Dynastiæ à *Manethone* traditæ quales? Sinarum periodus Scaligero prodigiosa. De Epochis Gentilium judicium *D. Jo. Hulsemanni. Jo. Henrici Hottingeri. Annalium* Sinicorum authoritas qualis? Sinæ an conditi *à Kenano*? an *Chami* posteri?

SECTIO III.

Res Literaria maturius à *Sinis* exculta. Literarum antiquitas. Inventio. Hanc sibi præter *Sinas* vindicant *Ægyptii. Phœnices. Assyrii.* Literarum apud Sinenses æstimatio. Doctorum honor. Scholarum cura. commendata à *Mentio*. celebrata ab aliis. Præmiorum & Graduum collatio. Typographiæ usus & possessio. Librorum publica asservatio. Rei Literariæ *Sinicæ* fatum sinistrum. Librorum combustio. revocat in memoriam Bibliothecæ *Alexandrinæ* ruinam. Philosophorum Sinicorum despectus tempore CONFUTII.

SECTIO

SECTIO IV.

Literatura *Sinica*. Characterum *Situs* atque dispositio. *Numerus*. Species ac Differentiæ. collatio vetustiorum & recentiorum. illorum genera XVII. Literarum *Mysticarum* figura. Significatio. Vulgarium numerus. Usus.

SECTIO V.

Literatura Sinica an *Hieroglyphicorum* Ægyptiac. æmula? Duplex Literarum via à *Diod. Siculo* tradita. ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΗ qualis? Unde desumta? Testimonia & Exempla varia. *R. Benj. Tudel.* relatio de sepulchro Alexandrino. confirmata ab *Herodoto*. an Hieroglyphicus scribendi modus ab *Æthiopibus* provenerit? meritò dubitat *B. Waltonus*. an à Mercurio? rectè negat *Th. Bangius* adversus *A. Roccham*. Schemata literaria ab eodem tradita qualia? *Hierogl.* Scriptores vetustiores. recentiores. *Alterum* Literarum Ægyptiacarum genus. an admittendum? quale fuerit? *Tres* aliæ notarum species à *Cl. Alexandrino* traditæ. Quatuor Characterum differentiæ. Instituitur collatio Literarum Sinicarum & Ægyptiacarum. *Tria* conformitatis specimina. Litera Regia. Figura Draconis. Crucis signum. quibus tamen nullatenus omnimoda Liter. Sin. & Ægypt. harmonia stabilitur.

SECTIO VI.

ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ Literaturæ Sinicæ cum Literis *Gymnosophistarum* & *Druidum*. *Mercurii Trismegisti*. Symbolis *Pythagoricis*. *Zoroastris*. *Orphei*. Cabbalâ *Ebræorum*. *Muhamedanorum*. *Romanorum* notis. Scriptura *Peruanorum*. *Mexicanorum* & *Armenorum*. Lingua *Sinica* tribus de causis difficilis. Vocum Ambiguitas quomodo tollatur à Sinens. atque Jesuitis.

SECTIO

SECTIO VII.

A Litteratura ad *Philosophiam.* Ejus causa *θεωρητικὴ.* Desiderium sciendi. Profectus *Sinarum* vetustissimorum in indagandis rerum caussis. Philosophorum Sinicorum *Secta.* Literatorum præcipua. ejus dignitas. Authoritas. institutio. Author *Confutius.* Hujus existimatio. Fanum. Scripta. Catalogus librorum Sinicorum.

SECTIO VIII.

Sinicæ Philosophiæ compendium. Summa Perfectio. Luminis Naturalis accensio. Præceptorum à Natura insitorum observatio. Duplex *JURIS* connati manifestatio. Intellectus Agentis operatio. ex mente *Arabum. Ebræorum. Christianorum.* Media perfectionis Sinicæ. Harmonia Philosophiæ *CONFUTIANÆ* & *Platonicæ.* Finis ejusd. perfectio etiam aliorum. Philos. *Sinicæ* divisio. Sinarum *Poësis.* Partis Naturalis prioritas. Error *Diog. Apolloniatæ.*

SECTIO IX.

De Ortu & Principiis Rerum Naturalium opiniones Philosophorum *Europæorum. Sinicorum.* Chaos. Primus Rerum Autor. ex mente *Japponensium.* variæ ejus appellationes. attributa. Philosophorum *Jappon. Secta.* Duæ qualitates seu Principia. quomodo in se ducantur. eorum ordo Imagines an Elementa? Formæ. Symbola. *Notæ* Principiorũ. Imaginum. Formarum. Symbolorum. *Elementa* quinque. quid per illa Sinæ intelligant? Qualitatum Elementarium derivatio. Numeri quinarii ratio. æstimatio. Philosophiæ *Europææ* inter Sinas enarratio. admiratio.

SECTIO X.

Alia de ortu Rerum opinio Sinica. Chaos *Ovum.* Vetustissima sententia *Phœnicum. Ægyptiorum. Zoroastris.* Reliqua Philosophorum Sinicorum de Ori-

de Origine Rerum placita. Primi Hominis productio. è deserto. è Chao tanquam ex *Ovo.* Quantum ad *Mosaïcam* veritatem accedant Sinæ. Hominum *primorum* mores. Barbaries. Hujus universi *Gubernatores* contrarii. *Dæmonis* cultus. *Spirituum* officia. responsa è statuis edita. familiarium apud Sinas usus.

SECTIO XI.

:bis *Interitus.* ex mente *Sinarum.* Gentilium aliorum. *ἐκπύρωσις Stoïca.* Mundi renovatio. periodus. *Mathesis* Sinica. Arithmetica. Astronomia. Astrologia Genethliaca. hausta ab *Arabibus.* Horum Mathematici celebriores. *Albumasaris* figmenta. Quatuor Machinæ Sinicæ. Ridiculæ sententiæ de causis Eclipsium. de ortu & occasu Solis. *Mathematicorum* Sinicorum officium.

SECTIO XII.

ilosophia *Moralis.* Sinica vivendi præcepta. exhibent Juris Naturalis compendium. respondent Sanctionibus *Noachicis.* Summa perfectio. *Epicurai* ante Epicurum. Sinarum Virtutes. *Pietas* ergà Parentes vivos. demortuos. Sententiæ aliæ præcipuè Ebræorum de Honore Parentibus debito. De *Luctu* instituta variarum Gentium. *Fortitudinis* Sinicæ definitio. divisio. exempla. Hieroglyphica. *Justitiæ* descriptio. Fructus. Symbolum. *Prudentiæ* Virtutumque reliquarum nexus. Virtutes *Homiletica.* cardinalium pedissequæ.

SECTIO XIII.

mortalitatis affectatio vana. sana. *Brasilienfium. Essenorum, Narsingensium. Peruanorum. Lapponensium.* Aliorum. *Μετεμψύχωσις* Sinarū. Arabum. Brachmanum. Tartarorum. Baneanum. Monopotaparum. Benjanorum. Ægyptiorum. Pythagoræ. *Empedoclis.* Getarum. Druidum. Celtarum. Germanorum. Platonis. Romanorum. Ebræorum. Manichæorum. Vitiosa erroris hujus excusatio,

SUFFRAGIA.

A.

Benzo.

C.

D.

Th. Ha-

L. La-

L.

M.

Jaco-

Plutar-

T.

V.

Iſaacus

W.

X.

Z.



THEOPHILI SPIZELII

DE

RE LITERARIA SINENSIUM COMMENTARIUS.

SECTIO I.

...ica gentis eruditio. Fastus. *Serum* appellatio vetustissima. *Sinarum* nomen. Olim usurpatum à *Marciano. Ptolemæo.* Arab. צינין hinc ΘΙΝΑΙ. Bachar ESSIN seu Mare Sinicum. *R. Benj. Tudelensis* צין. *Chrysococcis* ΝΤΖΙΝ. סינין an *Sinæ*? Loc. *Es.* XLIX, 12. cum *Is. Abarb. Aben-Esræ* & *Saadiæ* interpp. *Cataji* iidem cum *Sinensibus*. Harum appellationum in Linguâ Sinicâ vestigium nullum. Sinarum felicitas. Calamitas. Imperium Sinicum visitatum à *M. Paulo Veneto*. Lusitanis atque Jesuitis.

INcomparabiles *Scientiarum* pariter ac *Virtutum* Thesauros POPULI SINENSIS, connata Gentis ...perbia, & Mortales reliquos alto

ſupercilio deſpiciens ingenium, per aliquot annorum myriades occluſos tenuit. Aſt, non ſine egregia Talionis obſervatione accidiſſe exiſtimo, quod nec ille Orientis Terminus, à purioris Sapientiæ Alumnis, (quales jam olim Græcia non minus, quam celebratum illud Solis oſtium infinito numero aluit) vel viſitatus, vel literario quodam commercio honoratus, eoque ipſo egregio perficiendæ PHILOSOPHIÆ adminiculo deſtitutus fuerit. Veteris equidem ævi cuſtodes, notitiam quandam vaſtiſſimi extremæ Aſiæ Imperii poſſediſſe, è frequentiori SERUM ſeu SERARUM mentione colligitur. Hos verò à *Sinenſibus* noſtris, non niſi ſolâ appellatione diſcrepare, hactenus ab aliis evidenter eſt demonſtratum. *Eorum* mentio fit apud *Horat.* lib. I. Carm. od. 12. & lib. IV. c. ult. *Lucan.* in I. *Pharſal. Plinium*, lib. VI. c. 12. *Senecam* poëtam, *Claudian.* alioſque.

Con-

Confer. *Virgil.* II. Georg. de Artif. Serum, & *Nic. Trigaut.* Exped. Sin. lib.I. p.4. It. *Pompon. Melam.* lib.III. de Sit. orbis cap. 7. cum animadv. *Is. Voßii*, add. lib.I. c. II. verſ. 20. pag. 8. De Morib. Serum *Jo. Bohemum*, lib. II. de mor. & Ritib. omnium Gent. p. m. 120. Imprimis v. *Libavium* de Duplici Serum Gente, ad Vergil. II. Georgic. Singular. p. II. p. m. 680. ſeqq. adde de artific. Serum *Jo. Gorop. Becanum*, Vertumn. p. 106. edit. Antw. 1580. SINARUM verò nomen jam olim *Marcianus* ὁπεριηγητὴς ſcriptor vetuſtiſſimus (cujus MSCR. in Ampliſſ. Biblioth. *Oxoniens.* reperitur,) uſurpavit, idque retinuit *Ptolemæus* Geogr. lib. VII. c.3. p. m. 179. & lib.VI. c.9. p.158. Σίνας ab orienti γῇ ἀγνώστῳ terrâ incognita circum ſcribens, hinc Luſitanos illam accepiſſe, non vero ex *Siam* vel *Cocinchina* deduxiſſe veritati videtur conſen

A 2 taneum

taneum. Voci huic respondet Arabic. צינין *Tzinin*, unde Sinarum Metropolis juxta *Scaligerum* (Isagog. Can. lib.III. una cum Animadvers. ad Euseb. Chron. edit. p. 327.) ΘΙΝΑΙ dicta fuerit, quia Θ cum leni Sibilo, TZ cum densiori efferatur. Alias è *Cl. Gentii* notis ad Rosar. Sadis cap.VII. (p.618.) constat, Arabum Geographos inter septem nobiliora Maria, Sinicum exprimere *Bachar* Essin. Non autem immerito laudatus *Scaliger* l. d. vitiosam *Chinensium* & *Chinarum* appellationem taxat, quippe quæ vitio duntaxat Linguæ Lusitanæ, sibilum TZ neutiquam exprimentis, in omnem Europam propagata sit, confer *lib.V. de Emend. Temp. de Cond. Mund. p.*346. ubi Sinas imperitè ab Hispanis *Chinas* appellari demonstrat. *R. Benjamin Tudelensis*, (qui ante Sexcentos circiterannos extremam Asiam perlustravit,) *in Itiner. p. m.* 110.

m. 110. צין nuncupat, quod vocabulum *Conſt. L'Empereur* Sinam vertit. Durius extulit *Chryſococces* apud *Scalig.* l. d. NTZIN ἀντὶ τ̃ Σινῶν, cujus tamen fides ſuſpecta redditur ex eo, quod unicam duntaxat Regni Metropolin ponat χαὶλζὴ, long. grad. 162. lat. 32. De vocabulo verò hoc ut & appellationibus aliis vid. *Mart. Martinium* præf. ad Atlant. Sin. p. 1. ſeqq. Nos cum *J. Scaligero* contenti erimus SINAS vocare, ac ſuum cuique pronunciandi uſum relinquere. Neutiquam tamen facimus cum iis, qui סינים *Eſ.* XLIX, 12. pro *Sinis* accipiunt. Ita ſane cum *Oſorio Cornelius à Lapide* Commentar. in h. l. p. 402. Rectius alii, (cum quibus etiam nonnulli ex Hebræis faciunt) Terram *Sinæorum* ſive accolarum montis Sinæ reddunt. Interpretes, *Symmachus, Aquila, Theodotion* uti & Syrus & Arabicus nomen *Sinim* quaſi Gentis

proprium retinuerunt. *Isaacus Abarbanel* Comm. in h.l. pag. 74. col. 2. ארץ הדרום *Terram Meridionalem*; & *Aben-Ezra* פארת מצרים Regionem versus Ægyptum intelligit, *Cl. Bocharto* (Geogr. S. part. I. lib. IV. cap. 27.) placet *Saadiæ* explicatio, quæ apud *Kimchium* אחרא פלסין locum nomine *Pelusium* reddidit. Alii voce hâc pösteros Canaan versus desertum *Sinis* habitantes designari judicant. Nos per סינים l. d. intelligimus posteros הַסִּינִי (cujus mentio fit *Gen.* X. 17.) in finibus Arabiæ habitantes, Hevæorumque vicinos, quos etiam novit *Josephus* Antiq. lib. I. cap. VII. Sub *Catajorum* verò nomine Gentem nostram Persis, Saracenis ac Æthiopibus jam olim innotuisse, *Trigautius* Exped. Sin. lib. I. pag. 4. *Martin.* in stupendo Atlant. Sin. opere l. d. & *Cl. Hornius* Hist. Philosoph. lib. VI. cap. 7. annotarunt, præprimis

primis etiam Jesuitæ observarunt, nullam extra Sinensium Regionem *Catajam* reperiri, ita ut qui nobis Sinæ appellentur, eos à Persis Catajos vocari, contra *Mercatoris*, *Abrah. Ortelii* aliorumque Geographorum opinionem. Idem quoque rationibus solidissimis adstruit, Incomparabilis *Golius* (quem certè omnis abstrusioris eruditionis promum condum fuimus experti,) Dissert. pecul. Atlanti Sinico annexâ, ubi jucundissimam Sinarum atq; Catajorum σύγκρισιν exhibet atque instituit. In illa verò nominum differentia nihil æque mirum videtur, quam apud ipsos *Sinenses* harum appellationum nullam reperiri, cum tamen plurimas alias ipsi Imperio huic imposuerint. Etsi enim *Martinius* SINARUM appellationem è Regia quâdam familia CIN ortam fuisse perhibeat, nihil tamen, aliud exinde colligimus, quan nomen illud sal-

tem non prorsus à gente nostra alienum fuisse. Aliàs inter *Sinas* mos ab aliquot seculis obtinuit, ut quoties imperandi jus ex una familiâ in aliam, pro humanarum rerum vicissitudine transit, ipsum quoque Regnum novo nomine insigniatur, quâ de re vid. *N. Trigaut.* de Exped. Sin. lib. 1. cap. 11. pag. 45. *M. Mart.* Atl. Sin. pag. 1. & *Cl. Horn. l. 4. de Or. Gent. Amer. c. 4. p. 233.* Hinc *Is. Vossius* Observ. ad *P. Mel.* l. 1. c. 2. p. 8. in toto Sinarum Regno nomen hoc ignotum esse scribit; imò merâ factum esse imperitia, ut vastum illud *Serum* Imperium, quo nullum in orbe unquam illustrius fuit, *Sinarum*, nomine cognoscatur, ibid. notat. ut plurimum tamen voce CHVNCHOA & CHVNGQVE Imperii sui Majestatem Sinæ exprimunt: Quarum illa *Regnum Mediterraneum* significat; hæc verò ejusdem amœnitatem *Floris* encomio commendat, quam tamen de

appel-

appellationibus controversiam, suo loco relinquentes ad res ipsas properamus. Nullo itaque finitimorum accessu temerata Gens, Philosophicis contemplationibus, suavissimisque voluptatibus dedita, tamdiu beatam, quamdiu mortalibus reliquis ignotam ætatem peregit. usque dum Tartarorum in cursionibus repetitis. (adeoque calamitate promovente,) nobis tandem rursus innotescere cœpit. *M. Paulus Venetus* ex Eremitanorum ordine in universâ Italia nominatissimus, Situm ac mores *Sinarum* primus in Europa prodidit, qui cum circa annum Christi MCC. Orientem lustrasset, *Catajorum* nomine Imperium hoc indigetavit, inque eodem observata suis retulit, refer. *Aub. Miræo*, de Stat. Relig. Christ. per univers. orb. lib. II. cap. 27. p. m. 174. Extant autem *Veneti* illius Libri III. de Regionib. Oriental. in Corp. Script.

Novi orbis, edit. Basil. 1537. *Paulum* secutus *Jo. Mandevill Anglus*, *Catajorum* seu Sinensium eruditionem pariter ac subtilitatem in omni Literarum genere (*Itiner.* cap. 72. & 82.) deprædicavit, quibus tamen relationibus olim fides nullatenus fuit adhibita. Lusitanorum tandem frequentiores in Indiam excursiones, itinerisque Socii, Societatis Iesu Patres, obscurum hactenus, in universo orbe celebratissimum *Sinense* reddiderunt Imperium.

SECTIO II.

Ambitiosa Gentis Antiquitas. *Cycli* quales? Chronologia Sinica quibus limitibus includenda. Media duo ad conciliandam Antiquitatem Gentium ex mente *G. I. Vossii.* Anni Ægyptiorum Lunares. Dynastiæ à *Manethone* traditæ quales? Sinarum periodus Scaligero prodigiosa. De Epochis Gentilium judicium *D. Jo. Hülsemanni. Jo. Henrici Hottingeri.* *Annalium* Sinicorum authoritas qualis. Sinæ an conditi *à Kenano.* an *Chami* posteri.

QUum verò ab Antiquitate Gentis universæ Rei Literariæ

riæ pariter ad Philoſophiæ SINICÆ ætas dependeat, neceſſario in eandem inquirendum erit, antequam ad ipſius Sapientiæ adita progrediamur. Atque hâc in re potiſſimum elati atque turgidi *Sinæ* criſtas ſuas oſtendunt, ſupputatione videl. S. Chronologiæ terminum longè excedente. Imò parum ſe dixiſſe putarent, ni Sinicam Terram primi Hominis patriam extitiſſe, mortaleſque reliquos, ductis quaſi Coloniis è Sinenſi agro propagatos mentirentur. Quæ ſi veritati conſentirent, *Sinarum origines* ſe ultra Ægyptiorum retrò, Chaldæorumq; ambitioſam vetuſtatem porrigerent, certè qui hæc poriſmata ſequitur, vix Exordium Mundo, vix Deo æternitatem concedet. Attamen nulli ferè antiquitate Secundam Gentem noſtram eſſe, obſervarunt illi, qui paulo exactius originem ejuſdem examinarunt. Inter quos præ

reliquis laudamus *M. Martinium*, utpote qui juxta accuratiorem Sinarum Chronologiam Historiam suam adornavit. *Illa verò à Gentis origine* (verba *præfationis* Lit. A. recito,) *non modo magna temporum intervalla, & Sinensium Imperatorum Seriem tradit; Sed in quovis insuper Temporum Cyclo* (quem Sinæ jam inde à primis retro-initiis *annorum Sexaginta* cursu definienierunt,) *ostendit, quo anno Cycli tunc labentis, Regum quilibet Imperium adierit, quove anno res in omnem partem memorabiles gesserit.* Ab omni verò suspicione Computum Sinicum liberare conatur ex eo, quod Sinæ sibi solis, ac sua tantum scripserint, exterarum Gentium aut ignari aut contemptores; cumque hâc in parte mirabile semper Sinarum studium emicuerit, hinc illam temporum continuam, & fide optima deductam seriem deprehendi. Etali itaque supputatione, historiarumque

serie

ſerie colligit Author, annis ante vulgarem *Chriſti* Epocham *Ter mille* admodum primum *Sinarum* Imper. extitiſſe. *Hiſt. Sin. pag.* 3. Tantum autem abeſt, ut *Chronologiam* hanc ab omni prorſus vitio abſolverit, ut potius in re tanti momenti, arbitri munere fungi, aut ultra *Noachica* tempora aſſurgere haud quaquam voluerit, præſertim cum Chronologorum noſtrorum rationes mirum quantum infringantur, ipſumque diluvii tempus breviori ſpatio definiendum foret. Rectè ſanè (l. d. p. 21.) tantam Sinicis Scriptoribus fidem non tribuit, ut in illorum gratiam receptum hactenus diluvii terminum mutare cogamur, ſcil. non ignoravit profanos etiam ſcriptores interdum amore patriæ cæcutire. Nec immerito illorum impudentia taxanda eſt, qui ex profanarum gentium antiquitate, *Sacrarum Literarum* fidem impugnant, ut

& nullâ

& nulla non prodigiosa dogmata è falsâ hâc persuasione derivant. Et rectè observatum est, *Authorem tract. de Praeadam.* non aliam scribendi causam habuisse, praeter *ineptam illam de Gentium antiquitate opinionem.* Eandem Antiquitatis praedicationem, vir incomparab. *G. I. Vossius.* (Is. Chronol. S. c.11. p.37.) *ridiculam ostentationem*, nec non *delirium* appellavit, Et *Theolog. Gentil.* Lib.1. cap. 28. pag. 207. egregiè docet, quâ ratione Antiquitates sacrae & profanae, praesertim Ægyptiacae invicem conciliari possint. I. Distinguendum esse *annum Ægyptiacum*, quem vel *Lunarem* vel *Solarem* fuisse ib. ostendit. Idem certè confirmat *Athanasius Kircherus*, Oed. Ægypt. Tom. 1. p.252. Huc etiam pertinet, quod à *Diodoro* lib. 1. notatum est, *Chaldaeos etiam cum de suis disciplinis agunt, annum Lunarem id est Mensem intelligere.* II. Dynastiarum

annos

annos à *Manethone* traditos, non *explicitos*, sed *implicitos* & cum aliis concurrentes esse. His si includatur limitibus *profana Chronologia*, non solum aliarum Gentium, verum ipsorum *Sinensium* ex parte, ambitiosa, & Scripturæ Sacræ repugnans antiquitas coërceri poterit. Præterquam enim quod diversi diversam numerandi rationem ineant; *non semper apud Sinas idem anni initium, sed pro variorum Imperatorum voluntate, varium fuisse* fatetur *Martinius*, lib. I. Hist. Sin. p. 22. Præterea, Sinæ quoque ante introductum regimen Monarchicum (quod annos mille octingentos non excedit,) Imperium ipsum in *Dynastias* plures diviserunt. Hinc illi (non secus ac *Manethon*) facilè collateralem Regum seriem extendere, ipsarumque Dynastiarum annos *implicitos* & *explicitos* confundere potuerunt. Non immerito itaque *Sinarum* periodus (prodigiosa

digiosa videl. illa) *à Scaligero* supposititia dicta est, notante *Peyrerio* ipso, lib. I. de *Praadam.* c. VII. p. m. 180. nec fidem merentur (judice *Cl. Hilperto*, disquisit. de Præad. c. IV. n. 14.) *propterea quod homines ex terra ortos etiamnum sibi persuadeant.* De successione verò Dynastiarum, & Chronal. Sin. adi *Scalig.* ipsum *lib. v. de Emend. Temp.* p. 346. & *Martin.* Atlant. Sin. p. 17. *Ante Moysis tempora nullum vestigium de mensurâ anni solaris extare, sed fictas Ægyptiorum & aliarum Gentium Epochas, manifestâ vocabulorum, (utpote anni, mensis, horæ,) æquivocatione laborare*, ostendit Theol. celeberr. *D. Jo. Hülsemannus*, adversus Auth. tract. *de Praad.* Hypoth. II. Not. & paralip. ad Artic. III. *Brev.* MSCR. Eandem sententiam admittit *Jos. Scaliger*, in præf. librr. de *Emend. Temp.* & init. lib. VII. nec non *Thomas Lydiatus* Anglus, lib. de var. Annorum formis, cap. IX. & in not. ad *Censor.*
c. 19.

c. 19. de superstitiosâ etiam Ægyptiorum, Chaldæorum, &c. antiquitate vid. *Cl. Hilpertum*, l. d. ut & reliquos fabulæ præadamiticæ refutatores, adde Doctiss. Hist. S. conditorem, *D. Christianum Schotanum*, lib. I. c. IV. Biblioth. Histor. S. de Secundâ Mundi ætate, à pag. 113. usque ad p. 140. ubi de Chaldæorum s. Babyloniorum, Phœnicum, & Ægyptiorum Epochis pariter ac Dynastiis eruditè disserit. Adjicimus denique verba acutissima viri in omni literarum genere celeberrimi *D. Jo. Henrici Hottingeri*, quæ *Histor. Creat.* p. 9. exhibet: *Si ampullas alii jactent & sesqui pedalia verba de natalibus suis, & origine gentilitiâ, num statim fidem mereantur? Affectant multi vetustatis laudem, quam meliora & certiora edocti largiri illis non debemus. Ad carceres Scripturæ revocandi, aut si illius authoritatem non admittant, generoso contemptu vendicandi sunt, quotquot*

quot exorbitare, & extra Sphæram originis Adamicæ ferri volunt. Annalium porro Gentis nostræ authoritatem & antiquitatem famosa *Librorum Sinicorum combustio* aliquo modo dubiam reddit; quâ cùm præcipuè priorum Imperatorum memoriam extinguere laboraverit *Xius*; antiquissimorum *Sinarum historiam*, in Imperii Archivis asservatam,& Typographiæ beneficio nondum divulgatam periisse, verisimile est. Ex universâ nempe Librorum strage, nihil præter *Confutii* & *Mentii* quædam servata narrat *Martinius*, *Hist. Sin. lib.* VI. *p.* 210. quæ tamen nil nisi Philosophica placita continebant. quantis deinceps hallucinationibus jactura hæc restituta fuerit, quilibet facilè colligere poterit ex eo, quod *Ignem illum nec hodiè penitus è Sinarum animis extinctum*, ingeniosè scribat *Martinius*, pag. 210. Qui tamen dubii hujus solutione, Historiæ

ſtoriæ ſuæ fidem, aliquando forte liberabit. Author denique *Admir. Natur. in Sin. & Europâ* cap. XLVII. p. 1400. ſeqq. Judæorum figmentis multum tribuens, *Kenanum* Sinas condidiſſe ſtatuit, (quos Ebræi exinde *Kenanitas* appellent,) anno M. DCCCXXV. ætat. verò D. & vel ibid. imperaſſe, vel coloniarum curam geſſiſſe; Diluvium verò VII. *Imp. Sinici* ætate accidiſſe evincere conatur; *Noachum* Juſtitiæ præconem, univerſo mortalium Generi datum, ad *Sinas* quoque, Perſas, Arabes & Africanos perveniſſe, illaſque Gentes præmonuiſſe. Magis verò arrident ea, quæ pag. 1406. de Sinarum antiquitate profert: *Sinas* coloniam eſſe pervetuſtam, eo quod ſcientiæ & Diſciplinæ Noachicæ fuerint tenaciſſimi, Deum conditorem ſemper coluerint, virtutem ſummum Bonum æſtimarint, à ſanguine hactenus abſtinuerint, &c.

Hinc

Hinc facilius crederem, primos Imperii Sinici cultores, doctrinâ Noachicâ prius imbutos, extremam hanc Asiæ partem, factâ Gentium dispersione occupasse. *Chami* autem colonos *Sinas* nuncupat *Athanasius Kircherus*, Oed. Ægypt. Tom. III. Gymnas. Hierogl. cap. II. pag. XX. Cum enim ille primus ex Ægypto in Persiam, & hinc in Bactriam colonias suis transtulerit, Bactriana autem Regio Mogorum Regno conterminat sit, facile ex eâdem in Sinam quoque ultimam habitati Terrarum orbis Nationem, colonias transferri potuisse. Quæ sententiâ à veritate neutiquam abhorreret, modo rationibus atque fundamentis solidioribus, adstructa atque stabilita fuisset.

SECTIO III.

SECTIO III.

Res Literaria maturius à *Sinis* exculta. Literarum antiquitas. Inventio. Hanc sibi præter *Sinas* vindicant *Ægyptii. Phœnices. Assyrii.* Literarum apud Sinenses æstimatio. Doctorum honor. Scholarum cura. commendata à *Mentio.* celebrata ab aliis. Præmiorum & Graduum collatio. Typographiæ usus & possessio. Librorum publica asservatio. Rei Literariæ *Sinicæ* fatum sinistrum. Librorum combustio. revocat in memoriam Bibliothecæ *Alexandrinæ* ruinam. Philosophorum Sinicorum despectus tempore CONFUTII.

SEd de Antiquitate *Sinis* litem movere, aut controversiam inter summos viros hactenus ventilatam nostram facere, instituti hujus non est. Sufficiat eosdem literis jam tum excultos fuisse, *cum* (dicente *Martinio*, lib.1. p.22. Hist. Sin.) *Europæ nomen nondum* extaret. Ex *Alvarez Semedo* porro aliisque patet Sinarum Literas ejusdem cum Gente esse antiquitatis. Et consentiunt omnes ipsorumnet traditiones, & literas & Sapientiam cum Gente suâ cœpisse, à primâ quippe illarum inventio-



ventione ad annum quo Historiam suam *Semedo* conscripsit (Æræ Christ. 1640) annos MMMDCC. numerant, quanquam ab aliis numerus hic augeatur, Sine Literarum verò cognitione *Sinas* primò fuisse existimat *Brianus Waltonus*, (Prol. II. Apparat. ad Bibl. Polygl. Londin. pag. 10.) *quia characteres habeant toto genere diversos ab iis, quos aliis Nationibus Assyrii dederint*; hinc cum ab aliis Literas accipere non potuerint, novum earum genus, ob necessarium vitæ communis usum invenisse, ipsas paulatim excoluisse, & ad hunc usque diem aliquanto mutatas retinuisse. Nihil tamen prohibet, quo minus novum illud Scripturæ genus (rejecto priori) statim à primis Sinæ possessoribus inventum atque usurpatum statuamus. A *Waltoni* sentententia parum differt opinio *Athanasii Kircheri*, (*Tom.* III. *Oedipi Ægypt. Gymn. Hierogl. c.* II. *p.* 10.) quâ CCC. demum

demum post diluvium annis *Literas* à Sinis inventas statuit. Cum verò de Literarum suarum antiquitate tam multa perhibeant Sinenses; mirum adeò non est ipsos de prima Literarum inventione gloriari. Primum quippe Imperatorem FOHIUM, primum quoq; *Literarum* statunt inventorem; hunc verò annis *Ter mille* admodum ante Christi adventum vixisse, *in Hist. Sin. p.3. Martinius* existimat. *Alvarez Semedo* Hist. Sin. *Ital.* conscriptæ lib. 1. cap. 6. licet à *Fohio Imp.* Literarum originem apud ipsos deducat, haud tamen ultra annos MMLX. ab eodem ad *Christum* num erat. Author denique *Admir. Nat. in Sin. & Eur.* cap. XLVII. annis ante vulgarem Christi Epocham MMDCCCXLVII. imperasse scribit. Quam tamen gloriam Literariam Sinis meritò denegat laudatus *Waltonus*, l. d. eò quod primis hominibus Literas innotuisse pro-

probabilius ſit. Sed nec *Sinæ* ſolum eandem ſibi vendicant, verum Ægyptii, Aſſyrii, Phœnices, aliæque Gentes hâc de re fortuna pugnant ancipiti. Ex *Ægyptiorum* parte ſtat *Athanaſius Kircherus*, qui Magno illo Oed. Ægypt. opere probare conatur, literas primas fuiſſe *Ægyptiacas*, quas in Græciam intulerit *Cadmus*, de quâ opinione Siniſtre admodum judicat *B. Waltonus*, l. d. pag. 7. Eandem tamen olim à nonnullis admiſſam fuiſſe teſtatur *Plinius* (Hiſt. lib. VII. cap. 56.) ubi poſtquam literas apud Aſſyrios ſemper uſurpatas fuiſſe oſtendiſſet, addit, *alios apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius, alios apud Syros repertos velle*. Mercurio idem attribuit *Diod. Sicul.* lib. I I. Biblioth. Hiſt. *Plutarch.* Sympoſ. lib. X X. c. 3. *Cicero* de Nat. Deor. lib. III. Sententiæ hujus mentionem etiam facit *Tertullianus* de cor. milit. c. 8. & de Anim. teſtim. cap. 5. Alii verò pro *Phœni-*

Phœnicibus dimicant; audiamus iterum *Plinium* lib. v. & VII. c. 56. *Ipsa Gens Phœnicum in gloria magna Literarum inventionis, & siderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Hinc *Critias* apud *Athenæum* lib. I. ΦΟΙΝΙΚΕΣ δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα, *Subsidia vocis scriptæ reperta Tyri*, & *Lucan.* lib. III. *Phœnices primi famæ si credimus, ausi mansuram rudibus vocem signare figuris.* Ab *Assyriis* tamen sive Chaldæis *Phœnices* literas accepisse, communis non Theologorum solum, verum scriptorum etiam Gentilium sententia est: Σύροι μὲν εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσὶ παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν. id est, *Syri quidem Literas invenerunt; ab iis autem edocti Phœnices Græcis tradiderunt. Accedit* quod *Assyrii* longè antea Astrologiam coluerint, quod certè sine literarum usu fieri nequaquam potuit. Alii denique ad *Mosen*, alii ad *Abrahamum* Literarum originem refe-

runt, vid. *Clem. Alexandr.* 1. ſtrom. *Euſeb.* πρϵπαρ. lib.IX. c.4. quo cum facit *Iſid.* orig. 1.3. quam in congrua ſit hæc opinio oſtendit *Waltonus* l. d. p.7. In quâ tamen ſententiarum diſcrepantia tutiſſimum erit ἐπέχειν, ne temeraria deciſione, temerariis quoque aliorum judiciis nos ſubjiciamus. Interim Genti noſtræ ſi nõ primam literarum inventionem, certè vetuſtiſſimam poſſeſſionem denegare nullatenus poſſumus. Amor enim quo Literas, pariter ac honor quo omnes illarum ſectatores nunquam non Sinica terra eſt proſecuta, maturiorem Literarum uſurpationem non obſcurè ſubindicat. Præterquã enim quòd Nobilitas ſanguinis ſive temporis tota, à ſtudiis pendeat; univerſum Imperium Sinicum à *ſolis Eruditis* adminiſtratur, adeo, ut in hâc orbis parte ipſe *Plato* voti ſui compos redditus videatur. Addo, quod tanta *Sinis* referendæ gratiæ cura

cura erga illum obtinuerit, à quo doctrinæ atque Philosophiæ præcepta acceperunt Majores, ut uni CONFUTIO major honos, majorque utilitas ab eruditione provenerit, quam, fortasse apud nos Literatis omnibus. *Martin. lib.* IV. *p.* 133. Quod idem de *Ægyptiis* pollutionum contage nondum contaminatis, refert *Pierius, Hierogl. l.* XXXVIII. capite I. illos scilicet primariam olim nobilitatem dignationemque in Literarum studiis collocasse. Nec minus *Athenienses* morem hunc ab *Ægyptiis* acceptum, aliquamdiu servavêre, ut is primas in Republ. partes obtinuerit, qui & eruditione & Sapientiâ maximè præditus fuerit. Sed ad *Sinenses*, qui porrò nec probum, nec justum esse posse autumant, qui Philosophiam non didicisset, ut proinde Literas amare ac bonum esse pro iisdem prorsus habeant. *Mart. lib.* IX. *p.* 345. Accedit

summa Gymnasiorum cura, quæ à *Mentio* egregio Philosopho, non commendata solum, verum severissimè
,, injuncta est his verbis: *Regi summæ*
,, *curæ Scholæ studiaque sunto, ut juve-*
,, *nes omnes puerique dicto audientes esse*
,, *discant, Majoresq́ natu revereri. quod si*
,, *fiet, nemo juvenum senes laborare pa-*
,, *tietur, vel iter facientes onere premi.*
,, *Obsequentes enim filii haud sanè com-*
,, *mittent ut hoc officii à se desideretur,*
,, *quin ultrò senũ laboribus se substituent.*
,, *Pro certò autem Reges habere convenit,*
,, *qui Patri, fratribus ac tribulibus suis*
,, *obsequens est, non molestus non turbu-*
,, *lentus est; etiam suo Regi subjectum, fi-*
,, *delemq́ fore. Hæc qui in Regno suo pro-*
,, *curat, eum ego pulchrè atque quietè Re-*
,, *gnaturum dixerim.* Quam egregiè monitum hoc observaverint Sinæ, patet, ex Epistolâ *Nic. Longobardi* (de statu Regni Sinens. ad *Cl. Aquaviv.* p. 20.) *Non credo ullam Nationem unquam (quantum quidem ex veterum*

histo-

historiis cognosci potest, ita deditam fuisse Literarum studiis, atque hanc Sinensium. Quod non aliunde profectum est, quamquod Rex (à quo omnes velut à capite membra pendent,) omnia provinciarum officia distribuat convenienter gradui, quem quisque in Literarum studio est consecutus. Quâ de causa omnes promiscuè incumbunt literis, ad consequendos honores & dignitates tantopere à naturâ corruptâ exoptatas. Dicam rem primo aspectu incredibilem, quam tamen his oculis meis cerno, nempe in hoc Regno tot reperiri ATHENAS quot urbes & opidula existunt in China: In quâvis enim civitate integra est Academia, in quâ omnes ejusdem territorii docentur & promoventur, citra ullam communionem cum aliâ Academiâ. &c. His quoque fidem conciliat *Jo. Hugo Linschotanus Itinerar.* cap. XXIII. h. m. Academiarum splendor, per universum Regnum insignis planè est. Studia ibi Philoso-

phiæ, Legumque patriæ florent, nulla æstimatione Natalium circa honores, cum doctrinæ tantum atq; eruditionis delectus habeatur. Inde eruditis cuncti Magistratus patent, maximisque Solemnitatibus mininisteria. Idem fermè tradit *Martin.* præfat. *Atlant. Sin.* p, m. 9. adde quæ de studiis Sinicis annotavit *A. Possevinus* Biblioth. Sel. Lib. IX. p. 398. & *Lucas de Lindâ* Descript. orb. & omnium Rerump. pag. 1093. Ab his verò paulò dissentit *Josephus Acosta*, lib. XI. cap. 6. de promulgat. Evang. ap. Barbar. sive de procur. Indor. salute, ed. Colon. 1596. ubi narrat, Academias in Chinâ nullas esse compertas; studia ipsorum esse Linguam Mandarinorum, Historias, leges Civiles, Proverbia, Physica quædam eos habere & Mathematica sed ἀμεθοδικά, Comœdiis & historiis deditissimos esse, omnem eorum eruditionem reverâ iu legendo &

do & ſcribendo conſiſtere, Theologiam verò habere nullam.

Quum verò *Honorum* quoq; diſtributione promoveri Literarum ſtudia videantur, ut eorum ſpe ſtudioſi ad navandam operam excitentur; hinc neq; hâc in parte Sinæ quicquam in ſe paſſi ſunt deſiderari. Tres autem Literarum Gradus conferuntur iis apud *Sinas*, qui præmiſſo examine palmam aliis præripuerunt. Illi verò non ſolum cum *Baccalaureis*, *Licentiatis* & *Doctoribus* noſtris conveniunt, ut *Jarricus*, *Tom.*11. *Theſ. Ker. Indic. p.*636.637. perhibet; verum iiſdem quoque appellationibus à *N. Trigautio* lib. 1. *Expedition. Sinicæ* cap. v. diſtinguuntur. Hos verò inſignis quidam Literatus, Cancellarii quaſi munere à Rege ornatus confert, inſtituto tamen prius examine ſatis rigoroſo, quod præcipuè in Thematis alicujus de Regno & Republ. elaboratione conſiſtit,

è quâ de singulorum Candidatorum profectibus, ac de ipsâ admissione sententia fertur, hæc tamen arctis adeò includitur limitibus, ut vix vigesimus voti compos reddatur. Doctores verò creati, egregias immunitates, privilegia & honores accipiunt, proprio habitu, pileo, ac reliquis Magistratuum criteriis gaudent, & ad ipsam Reip. administrationem evehuntur. Hâc de causâ assiduâ exercitatione stylum parant, neque tam sermonem quam Scriptionem expolire curant, hinc omnem ferè *Sinarum* eruditionem ad nostra usque tempora in eloquentiâ (non tam quæ in pronunciatione quam elaboratione consistit,) *Trigaut. Exp. Sin. lib.* I. *c.* 29. collocat, confer *Anton. Possevinum Bibl. Sel. lib.* IX. cap. 26. Atque hoc ipsi Sinenses nullatenus diffitentur. E Doctorum quippe numero quidam sciendi cupidissimus, Philosophiæ Euro-

Europæa capita è *Matth. Riccio* expiſcabatur, quæ cum expoſuiſſet, in hæc verba tandem Sinenſis ille prorupit: *Video vos incipere ubi nos terminamus*; eloquentiæ ſtudium notans, quod à puerili propè ætate, eos in ſenectutem uſque occupatos teneat, plura de colloquio hoc annotavit *Trig. lib.* IV. *p.* 397. Huc pertinent verba N. *Longobardi Epiſt. pag.* 7. quibus neutiquam diffitendum eſſe ait, ſummum Sinarum ſtudium non excedere Romanorum eruditionem tempore *M. Tullii Ciceronis* vigentem. Omnes exercitatiſſimos eſſe in uno orationis ſchemate, quod *Chriæ* noſtræ reſpondeat. Nihilominus verò Examinũ Sinicorum rigor vel ex eo patet, quod non ſolum crebro & quidem ſeveriſſimè, ante collatum gradum inſtituantur, ſed quotannis etiam repetantur, hâc quidem Lege, ut ſi non profecerint, gradu rurſum maximâ cum igno-

miniâ excidant, v. *N. Longob. p.* 25. 26.

Maturior denique *Typographiæ* inventio, Rem Literariam *Sinicam* auxit mirificè. Quanquam *Europæi* palmam hâc in parte *Sinis* difficulter concedant, eorumque causam agat *Th. Lansius*, Orat. *pro Germ. Consult. pag.* 1000. Omnes tamen ferè Rerum Indicarum scriptores pro Sinis dimicant, *Jovius*, *Maffejus*, *Mendoza*, *Trigautius*, aliique. *Typographia apud Sinas antiquior aliquanto usus est quam apud Europæos* (inquit *N. Trigaut.* lib. 1. cap. 4.) *nam à quinque retro seculis certum est ab iis usu receptam, neque desunt qui asserant prius eâ Sinas fuisse usos, quam in hanc mortalitatem immortalis Deus sese abjecisset.* Et *Mercator Atlant. Maj.* descript. Regni Sin. p. m. 371. scribit. Ars Typographica, & Tormentorum Bellicorum usus hic adeò vetus est, ut inventorem nesciant. quibus pollicem premit *Author. Admirand.*

mirand. Natur. in Sin. & Europ. cap. XLVII. Aſt hîc quoque criſtas ſuas produnt, adeò ut *Jo. Conſalvus Mendoza* ex ipſorum Sinenſium mente affirmaverit, Artem Typographicam una cum ipſo *Regno Chinæ* habuiſſe initium, & inventam à quodam, quem incolæ inſtar Numinis venerentur. Non verò heri demum apud Sinas artem hanc inuſu fuiſſe, non citati ſolum, verum alii quoque ejuſdem authoritatis ſcriptores confirmant. *Jo. Boterus Beneſius* Rel. univerſ. Deſcript. Chinæ ed. 1596. inquit: *Anni mille ſunt & amplius ex quo Chinenſes Typographiâ utuntur. Jo. Petrus Maffejus*, Hiſt. Indic. lib. VI. p. 113. perhibet, vetuſtiſſimo in uſu apud Sinas fuiſſe literas imagineſque ſubjectis prælo typis excudere. Maximè miratur *Paulus Jovius* lib. XIV. Hiſt. apud *Sinas* Typographos artifices, qui libros, Hiſtorias, & ſacrorum cere-

remonias, more noſtro imprimant reperiri. Sicuti verò longis à noſtra paraſangis, differt *Typotheſia Sinica*, ita utraque encomiis ſuis nullatenus deſtituitur; Charactères n. *Sinæ* Tabulæ è pyro ferè malovè inſculpunt, h. m. folium exſcriptum leviter conglutinant, inde magno artificio jam ſiccam papyrum ita eradunt, ut non niſi tenuiſſima facie transparentes characteres videantur, tum ſtylis ferreis ita tabulam illam exſculpunt, ut ſola characterum vel picturæ lineamenta emineant. Incredibili tum facilitate ac celeritate folia pro arbitratu imprimunt, eaque ſæpe Typographus unus, die uno quingenta ſupra mille expedit. In inſculpendis quoque Tabulis tanta celeritate verſantur, ut nihilo plus temporis in ſculpenda quam noſtri in componenda unâ, emendandaque conſumere videantur: Et hæc excudendi ratio (judice

Trigau-

Trigautio, l. d.) ad Sinicos characteres ferè grandiusculos accomodatior est, quam ad nostros, neque enim tenuissima nostra elementa ligneæ tabulæ insculpi commodè possunt. Typographiæ huic Sinicæ commodum accedit, quod author vel Typotheta non cogatur simul ac semel ingentem Librorum multitudinem typis edere, sed quoties voluerit, aut opus fuerit volumina pro arbitratu plura aut pauciora excudere. E quâ facilitate tanta nascitur Librorum multitudo ac utilitas, quantam non facilè est ei, qui non noverit explicare. Hinc in *Sinæ & Europæ Mirand. Author.* p. 1261. refert: In monte *Lungmuen* reperiri 30000. Authorum Sinicorum *Bibliothecam*, quæ *Siyuli* dicta fuerit propterea, quod præfectus ille eandem inchoaverit, & pag. 1257. In Fano *Venchung* ingentem asservari ad Museum Regium Librorum copiam,

piam, quo in loco è vetuſtioribus Regibus plurimi Literarum ſtudiis operam dederint. Non minori induſtriâ ſumma hæc Regnorum atque Rerumpublicarum κειμήλια (Bibliothecas intelligo) omni tempore à Græcis pariter ac Romanis aſſervata reperiuntur, & ante illos Ebræi quoque Bibliothecas ſuas voluminibus plurimis exornarunt, vid. *Auguſt. Tom.* VI. *contra Fauſt.* lib. XII. cap. 32. De primis verò Librorum collectoribus *Polydorum Vergilium* lib. II. de *Invent. Rer.* cap. 7. De Sacris *Ægyptiorum* Biblioth. *Heurnium.* Philoſ. Barbar. lib. I. p. 53. ſeqq. de Bibliothecâ *Ariſtotelis* conſule *Strabonem*, lib. XIII. de *Pergamenſi* ab Athenienſ. auctâ & à *Xerxe* ablatâ *Plinium*, lib. XXXV. de *Alexandrinâ* Ptolom. Phil. *Joſephum* lib. XII. *Antiquit.* cap. 2. & *Georg. Cedrenum* lib. XXII. De *Cæſarienſi Hieronymum* Tom. VI. Opp. in cap. III. ad

Tit.

Tit. fol. 208. De Biblioth. *Turcicis* & præprimis *Fessanâ* (in quâ triginta duo millia voluminum Arabicorum asservantur,) *Erpenium*, oration. de Lingv. Arab. p. 36. Eâdem solertiâ successu temporis aliæ atque aliæ à Regibus, Principibus & Rebuspub. adornatæ sunt, *Aurelianensis* in Galliâ: *Basileensis* in Helvetia, *Bellaquensis*, Francisci I. Regis Gall. *Budensis* Matthiæ Corvini Regis Hungariæ authoritate erecta: *Cantabrigiensis* in Angliâ: *Florentina*, *Medicea* in Etruriâ, *Heidelbergensis* in quâ etiam fuit illustris Fuggerana, jam injuria Belli distracta, Romamque translata; *Helmstadiensis*; *Jenensis* in Thuringia: *Augustana* Vindelica: *Lavingana* in Sueviâ, cui *Hieronymi Wolffii* inserta: *Lovaniensis* & *Lipsiensis*: *Lugdunensis* Batava, *Scaligeri* Libris nobilitata; *Monacensis* Boja: *Oxoniensis* in Anglia; *Parisiensis* in Gallia: *Romana*: *Salmanticensis* in Hispania: *Veneta*,

neta, in quâ etiam *Cardin. Bessarionis: Guelphebutelia*, Brunsvicensis, *Viennensis* ab Alberto III. Alb. Sap. F. fundata, infinitæque aliæ.

Sed à diverticulo in viam, ab Europæis rursus ad *Sinenses*, inter quos certè non semper æquioris fortunæ aura Rem Literariam aspiravit. Quippe singulare illud Librorum Sinicorum fatum, (paulò ante indigitatum,) Universæ ferinè eruditioni Sinicæ attulisset exitium, nî peculiari artificio fuisset elusum. Imperator quippe *CHINGUS* seu *XIUS* extremæ ambitionis homo, quo priorum Imperatorum omnium extingueret memoriam, famamque apud posteros solus obtineret, infami facto, edictoque publico omnes libros Sinicos exuri jussit. Quo scelere enarrata, *Martinius* subjungit, *eum insigne dedecus & infamiam apud posteros invenisse, unde famam præclaram quæsierit.*

Hist.

Hist. Sin. lib. VI. p. 210. Exustionis hujus (quæ ante Christi Epocham, ann. CCXV. contigit,) authorem etiam *Lisuum* faciunt, qui oratione peculiari in Concilio quodam hunc in finem institutto, *igni huic oleum* addiderit: *Olim, cum in plures divisa Dominos essent Regna, non abnuerim necessarium fuisse Literarum studium, ut, quæ ad cujuscunque Regni gubernationem pertinerent, è Libris promerentur. Nunc eviluit hæc ratio, cum sub unius Imperio totus quiescit orbis, unius omnes nutum intuentur, unus ordo, una lex servanda; cui rei quid plura scire sit opus, ego quidem nescio, at obesse potius, hoc scio. quid enim? Otiosis litigiosisque literatoribus Regnum cur oppleamus, haud dispicio*, & paulò post: *Quo impensius Imperatori vigilandum, ac ne quis Libros habeat domi vel suæ, vel alienæ, nevè abscondat, sed quamprimum addicat flammis, etiam sub mortis pœnâ denunciandum; salvis tamen illis, qui de agricultu-*

culturâ, Medicinâ, & divinatione agunt. Pestilens & exitiosa Literis fuit hæc oratio: omnia quippe extemplo Sinensium opera periêre. Nec ullam in indagandis Libris diligentiam Præfecti patiebantur desiderari. Quanquam verò omne studium in eversione studiorum impendebatur; studio nihilominus & ingenio Libri nonnulli Philosophici servati, & ab interitu vindicati sunt. Quâ in re laudabilem operam *anum* quandam librorum amantem collocasse, & *Confutii* ac *Mentii* aliorumque scripta, paginis divisis ad domus parietas agglutinasse, refert *Martinius* l. d. p. 210. 211. Atque ex inde (ut obiter moneamus) patet, quâ ratione à *Trigautio* (*lib.* 1. *Exped. Sin. cap.* 4.) Libri *Confutiani* Bibliothecarum Sinicarum antiquissimi nuncupentur, cum enim illi fermè soli ab intèritu fuerint vindicati, pro vetustissimis postea utique haberi potuerunt. Parum

rum autem hâc ratione in innocentes chartas sævîisse se Tyrannus credebat, nî supplicio simili voluminum quorundam possessores, studiosos, & Librorum tenaces in montibus repertos extinxisset, & in forum protractos CCCCLX. cum Libris cremari mandasset. Propter hoc verò Imper. adversus Literarum studia odium, quingentos Philosophos, è *Thienheng* Insulâ, in mare se præcipites dedisse perhibet *Author Adm. Nat.* in Sin. & Europ. pag. 1303, Hæc Librorum Sinicorum combustio revocat nobis in memoriam triste illud Bibliothecæ *Alexandrinæ*, (DCC. Librorum Millibus celebratæ) fatum. Quod Asiaticæ pariter ac Europææ eruditioni summum attulit exitium, ipso quidem promovente *Cæsare*, qui tamen à nonnullis excusatur, eò quod Librorum pariter ac Ingeniorum fautor egregius extiterit. vid. *Gell. lib.* VI.

Noct.

Noct. Attic. c. 17. De tristi hoc igne consule *Amm. Marcell.* Lib. XXII. & *J. Lipsium*, Syntagm. de Bibl. capite XI. Sed ex Ægypto rursus in *Sinam*, quæ nec Philosophos eodem semper honore prosecuta est. Tantus equidem Literarum contemptus vel ipsius *Confutii* ætate Regnum occupavit, ut Sapientiæ Doctores loco mortalium abjectissimorum fuerint habiti. *Scires Philosophos eo tempore* (notat *Martinius* lib. IV. p. 126.) *viles fuisse.* Confutius quidem variis Regibus ostentavit seque suamque Philosophiam, exploraturus, num eorum aliquis vellet adorare decreta sua. At miser, unde plausum prensabat, probrum tulit; dictus ab illius seculi hominibus *errabundus canis*, qui nesciat domum suam; sicque in aulâ Regia exceptus, recessit, vitamque privatam amplexus est. Nec *Confutius* solus palatia deseruit, verum alii quam pluri-

plurimi Philosophi ejusdem exemplum sunt imitati. Non pauci in agris & montibus latuerunt, alii dementiam simularunt, ne improbis Regibus servire cogerentur, indeque malè audirent, plura suppeditat *Martin.* l. d.

SECTIO IV.

Literatura *Sinica.* Characterum *Situs* atque dispositio. *Numerus.* Species ac Differentiæ. Collatio vetustiorum & recentiorum. Illorum genera XVII. Literarum *Mysticarum* figura. Significatio. Vulgarium numerus. Usus.

HActenus in limine duntaxat Magnificum Eruditionis *Sinicæ* Palatium lustravimus. Accedamus igitur *Literarum* ductu reliquos universæ Philosophiæ recessus. Ne verò in tantis tenebris alicubi impingamus, ante omnia *Literaturam Sinicam* tum absolute spectatam; tum aliarum Gentium (utpote Ægyptiorum, Gymnosophistarum, Peruanarum, Mexicanorum, Armenorum

rum &c.) Literis comparatam considerabimus. Abſolutè verò ſpectatorum Characterum exhibemus primò *ſitum* & *diſpoſitionem*, deinde *numerum*; *ſpecies* denique atque *differentias*, quibus etiam nonnulla de ſermone *Mandarino*, inter Literatos Sinicos hactenus uſurpato, ſubjungamus. Ab *Elementis* itaque ſeu characteribus initium facturi, principio eorundem *Situm* atque *diſpotionem* exponamus, & quidem verbis *Petri Jarrici* (Theſ. Rer. Indic. *Tom.* II. *p. m.* 634.) h. m. *Neque verſus ab læva ad dextram ut nos, neque à dextra ad lævam ut Ebræi, ſed ad imum à ſummo perducunt. Uni itaque figuræ alteram ſubjiciunt, non verò ad latus noſtro more ponunt; atque ad imum uſque perductâ ſerie, aliam in ſummo ad latus auſpicantur, quam etiam infernè proſequuntur*, confer *Jo. Pet. Maffejum* lib. VI. Hiſt. Ind. pag. 113. N. *Longob.* & *Nic. Trigautium* lib. I. *Exped. Sin.* p. 31. Et

hâc

hâc ſcriptionis diverſitate à cæteris Nationibus diſcerni Sinas, ſcribit *Author* Admir. Nat. in Sin. & Eur. p. 1508. cum (annotante etiam *Mercatore*, Atl. Maj. ab *Hundio* contin. p. 371.) illi non lævorſum aut dextrorſum pingant, lineis rectis jacentibus, ſed pendentibus *deorſum*. Quatuor autem potiſſimum ſcribendi modos in uſu hactenus fuiſſe deprehendimus. Primus eſt à Dextra Siniſtrorſum, qualis Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, & Ægyptiorum etiam teſte *Herod.* in *Euterpe*. Alter à ſiniſtra dextrorſum, quem Græci & Latini obſervant, & inter orientales Armeni, Georgiani, & Æthiopes. Tertium βυςροφηδὸν nuncupant, quo ſcil. ad modum boum ſulcos ducentium ſcribitur, incipiendo ſecundam, ubi deſinebat prima linea. Atque mos ille antiquiſſimis Græcorum placuit. Patet hoc ex *Pauſan. Eliacor.*

prio-

priori, ubi perhibet *Cypſelidas* in memoriam arcæ, in quâ Cypſelus ſervatus erat, arcam Olympiæ dicaſſe, cujus inſcriptiones fuerint γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις *literis antiquis* hoc eſt Jonicis, ſed formam ſcribendi fuiſſe aliam, quæ βουστροφηδὸν dicatur, pergit enim, ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. *A ſuperioris verſus fine continuò ſit verſura ad initium ſequentis, eâ ratione quâ curritur in diaulo.* Eadem ſcripturâ exaratæ erant leges *Solonis*. Ex Latinis modum hunc enarrat *Iſidorus* lib. VI. cap. IX. Sunt etiam nonnulli, qui *Hebræos* quoque βουστροφηδὸν uſque ad tempora *Eſræ* progreſſos, ſed abſque ullo prorſus fundamento affirmant. De hâc ſcribendi ratione vid. inſuper *Meurſ.* Attic. Lect. lib. I. cap. 22. *Voſſium* de Art. Gramm. lib. I. cap. 34. *Bochartum* Geogr. Sacr. p. 2. lib. I. c. 20. *Cl. Lambecium*, Hiſt. Liter. Prodr. lib. II. cap. 2.

pag.

pag. 160. & *Edmundum Dikinsonum* in Delph. Phœnicizantibus capite x. Restat denique Modus quartus & ultimus, quo à summo ad imum devenitur, eodem incolæ *Taprobanæ*, quæ in Australi Oceano est, jam olim usi sunt, teste *Diod. Sic.* sub fin. lib. II. *γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθόν.* *Scribunt versus non eos in transversum extendendo, ut nos, sed à summo eos in imum rectà diducendo.* Et hoc scribendi genus non apud *Sinas* solum, verum etiam plerosque Indos obtinet. Dictum alias Græcis est *Tæpocon*, Festus: *Græci Tæpocon soliti sunt appellare Genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus.* Vocem hanc eosdem à Phœnicibus Syris accepisse judicat G. I. *Vossius*, de Arte Gramm. lib. 1. cap. 34. cum Hebræis הָפַךְ vertit, convertit, evertit, subvertit denotet, cujus fut. תַּהֲפוֹךְ *Tha hapoc*, h.e.

invertes, evertes, &c. unde *Tapocon.* confer *Brianum Waltonum*, Appar. S. *ad Bibl. Polygl.* proleg. 11. pag. 10. & laud. Dikinſon. l.d.

Characterum Sinicorum ſitum excipit eorundem *Numerus*. In hoc autem determinando non omnes conſentiunt. *Petrus Jarricus* Theſaur. Rer. Indic. Tom. 11. capite XVII. *Quadraginta facile millia* numerari poſſe ſcribit. *Mercator* Atl. Maj. quinque duntaxat notarum millia Sinis atrribuit. *Athanaſius Kircherus* Oed. Ægypt. Tom. III. Theat. Hierogl. cap. 11. pag. 10. 80000 *Characterum* notitiam illis adſcribit, quâ inſtructus eſſe debeat ille, qui ad ſummum Literatorum honorem adſpirare velit. E quibus tamen *decem milla* ad idioma perdiſcendum ſufficiant. *M. Martinius Præfat. Hiſtor. Sin.* ſupra *Sexagies mille*, omnes figurâ & ſignificatione diverſos Sinas poſſidere judicat. Idem con-

confirmat *Jo. Albertus de Mandelslohe*, Itinerar. (operâ *Adami Olearii* editi,) lib. 11. capite 8. Alii (annotante *Briano Waltono*, l. d. prol. 2. p. 10.) 60000. alii 80000. alii usque ad 120000. numerum extendunt. Omnes autem in vocabulario magno quod *Halpien* nominant, seu Oceanum, (quo titulo etiam Lexicon suum ornavit Celeberrimus ille Arabs *Camus*,) descripti reperiuntur. Illius v. discrepantiæ ratio alia vix dari potest, quam quod Literarum elementa successu temporis semper aucta sint, quo de vid. *Martin.* lib. 3. Sin. pag. 96. Illa verò non vocalem aut consonantem indicant, ut ex earum connexione vocabula formentur, sed singula rerum singularum sunt *notæ*. Nec ex aliquo certo Alphabeti ordine constant, sed rem quamlibet figurâ exprimunt ab aliis diversâ, nullâ arte vel normâ compositâ, sed veluti casu subjectæ rei

 attri-

attributâ. Horum verò species ac differentiæ paulò exactius explicandæ veniunt. Ante omnia igitur notandum, *Literaturam Sinensium* recentiorem à vetustiori maximoperè discrepare. Primò siquidem ex omnibus fermè rebus characteres Sinæ composuerunt, ex animalibus puta, volucribus, reptilibus, piscibus, herbis, &c. arborum item ramis, funiculis, filis, punctis, circulis, variis modis dispositis atque formatis. Posteriores verò, rerum usu doctiores, magnam in tantâ animalium, plantarumque congerie confusionem animadvertentes, characteres variè formatos, certis punctorum, linearumque ductibus æmulati, in breviorem methodum concinnarunt, quâ & in hunc usque diem utuntur. Literaturæ autem *Vetustioris* genera XVII numerantur. *Primum* & antiquissimum ab ipso FOHIO (Imp. Sinico,) inventum, ex

Ser-

Serpentibus & Draconibus confectum est, & serpentes mirè intricatos, inq; varias formas transformatos continet, unde & Liber ille, quem de rebus Mathematicis & Astrologicis FOHIUS conscripsit, *Draconum Liber* appellatur. Majoris evidentiæ gratiâ characterem talem ex ejusdem libri titulo desumtum, apposuimus.



Hodiè v. figurarum harum, (utpote nimia vetustate deperditarum) apud *Sinas* usus ferè nullus est. *Alterum* Genus ex *Agricultura* rebus concinnatum est, usurpatumque à Sinico Imp. *XINNUNG* in annotandis illis, quæ ad Agriculturam necessariò requiruntur. *Tertium* ex *Alis avis* *FUMHOAN* adornavit Imp. XAUHOAM, edito peculiari de volucribus hisce literis libro. *Quartum* notarum genus ex *Ostreis* & vermiculis compositum est. *Quintum* ex

Herbarum radicibus, quo prisci in voluminibus etiam conscribendis usi sunt. *Sextum* ex decurtatis *avium* vestigiis, hocque Regem *Choam* Authorem habet. *Septimum* ex *testudinibus* constat, *YAO* inventore. *Octavum Aves* & *Pavones* exhibet. *Nonum Herbas* & *Alas* exprimit. *Decimum* à *çò* Tabularum quarundam authore memoriæ saltem gratia adornatum est. *Undecimum Stellas* & *Plantas* Literarum loco ponit. *Duodecimum*, literis *Edictorum*, privilegiorum, & magnarum compositionum peculiaribus absolvitur. Ad *Decimum Tertium* literæ *Yeu çau chi cien Tao* pertinent. *Decimi quarti* generis notæ, vocantur literæ quietis, lætitiæ, scientiæ discursus, obscuritatis, claritatis. *Decimum quintum pisces* continet. *Decimum sextum* propter obscuritatem nondum innotuit. *Decimum septimum* in sigillandis literis aut inscriptionibus splendidis usurpatur,

cujus ſpecimina aliquot exhibet *Athanaſ. Kircherus* Oed. Ægyptiac. Tom. III. Theatr. Hieroglyphic. cap. 2. Recentiores verò Sinæ (ut antea diximus,) non *figuratis* amplius characteribus, ſed certis quibuſdam linearum ductibus utuntur, qui tamen figuratas antiquorum literas non obſcurè referunt, verbi gratia litera hæc modernorum Sinenſium comparata ad veterum eoſdem fermè ductus imitatur.

E Novem autem lineis diverſis, recentiores illi characteres formantur, ita quidem ut ex unius lineolæ ſive appoſitione ſive omiſſione, alia ſignificatio oriatur. Cujus rei ſpecimen aliquod apponamus: Lineo-

la —— significat *unum*, *primum*, *&c.* cum transversa vero -|- *Tsi* seu *decem*; superaddita alia notat *Thou* vel *Terram*; rursus alia *Wang'* seu *Regem* indigetat; cum puncto *Iö* seu *Iu* *Margaritam* indicat, situ verò ejus variato notat *Sem*, seu *creare*, *vivere*; denique puncto super imposito *Chu* seu *Dominum* significat.

Huc etiam pertinent *Figuræ mysticæ*, cujusdam Sinici operis Yeking dicti, magnique apud eos pretii, ob res arcanas inibi latentes. Illud tamen nil nisi Philosophiam mysticam *Pythagoricæq*; per similem continere judicat *Martinius Hist. Sin.* pag. 6. multa enim in eodem reperiuntur de *Generatione & corruptione*, de *fato*; de *Astrologia*

logia judicaria; de quibusdam *principiis naturalibus*, quæ tamen jejunè & exiliter, absque causis ac rerum definitionibus, disputantur, atque eodem hodie potissimum ad divinationes & sortilegia utuntur, sensu ejus genuino aut neglecto aut ignorato, stupenda denique libro huic tribuuntur, vel hoc solo nomine, quod ex illius intelligentia abstrusarum rerum, eventuumque omnium prænotio dependeat. Figuræ verò atque characteres scripti illius *Sinici*, certo lineolarum numero atque situ pinguntur, quibus Rerum naturalium *principia, formæ*, atq; *Symbola*, lineis quidē partim integris, partim divisis pro significatæ rei qualitate & conditione exprimuntur, v.g. Cælum ☰, Terra ☷, fulmina ☳, montes ☶ &c. de quibus tamen infra plura annotabimus, ubi de naturali Sinarum philosophia dictisque rerum prin-

cipiis, signis sive imaginibus, formis item ac symbolis locus dicendi fuerit. Quatuor porrò Sinicarum Literarum differentias constituit *Semedo* (p. I. c. 6.) his verbis: La varietà in questo venne à fare quattro specie di lettere. La prima e antica, che ancora vesta nelle loro librarie, & e intesa da tutti i Letterati; ben che non s' vsi piu che in alcuni titoli, e sigilli, che mettono in luogo d'arme: la secundo detto *Chincu*, e la piu corrente così nelli manoscritti, come nella stampa. La terza che chiamano *Taipie*, corrisponde alla nostra corsiva de gli Notarij publici, poco usata se non in polize, ventagli dicerie, è cose simili. La quarta è tanto differente da quest' altre, per l'abbreviature, che sono molte, come per li tratti differenti, che v' è necessario studio particolare per in tenderle. Questa voce *Sie*, che vale render gratie si scri-

ve di tre maniere differentissime. Superest Duplex illud Literarum Genus, ex quo *Cyclum* suum *Sexagenarium* postea Sinæ efformarunt. Hoc autem THIENHOANGVM quendam ad invenisse perhibet *Martinius* l. d. pag. 7. Primum Ordinem literæ decem constituunt, quas *Can* vocant, suntque KIA, Y, PING, TING, UU, KI, KEN, SIN, SENG, GVEI. Secundus vero ordo duodecim diei horas continet, quas non per numeros, sed characteres peculiares exprimunt; è quarum literarum combinatione, non anni solum nomen & qualitatem; verum etiam singularum dierum arcanos è cœlo in hæc inferiora motus, rerumq; naturalium proprietates observari posse existimant. Quamvis vero enarrati illi *Characteres Sinici* à vicinis quoque populis usurpentur, nihilominus tamen ab Sinis in Regnis adja-

centibus denominatur, & idiomate provinciis ſingulis peculiari exprimuntur in *Japponia*, *Coreâ*, *Conchininâ*, *&c.* Non ſecus ac inter Europæos figuræ numerorum ſeu *Cyphræ*, planetarum notæ, ſignaque cœleſtia pro cujuſvis linguæ genio pronunciantur. Exinde autem Nationes inter ſe diverſiſſimæ communi Librorum commercio ita fruuntur, ut ſenſum planè eundem aſſequantur, licet præter idioma proprium, nullum aliud intelligant, conf. *Martin. Atl. Sin.* p. 151. Quod idem de *Corais*, *Caucinciis*, & *Lebujais* confirmat *Trigautius*, lib. 1. cap. v. & de *Japponenſibus* refert *Horatius Turſelinus* lib. iv. de vita *Fr. Xaverii*, p. 306. eoſdem longè aliter loqui ac ſcribere, ſermonem alium eſſe virorum alium mulierum, aliis Literarum notis Epiſtolas, libros aliis conſcribi; quæ copia varietaſque tum loquendi, tum ſcribendi, ad perdiſ-

cendum

cendum multum & operæ & temporis requirat. Atque hæc de *Literatura Sinica* absolute considerata, pro instituti nostri ratione velut in Synopsi dicta sufficiant.

SECTIO V.

Literatura Sinica an *Hieroglyphicorum* Ægyptiac. æmula? Duplex Literarum via à *Diod.Siculo* tradita. ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΗ qualis. Unde desumta. Testimonia & Exempla varia. *R.Benj.Tudel.* relatio de sepulchro Alexandrino. confirmata ab *Herodoto*. an Hieroglyphicus scribendi modus ab *Æthiopibus* provenerit? meritò dubitat *B. Waltonus*. an à Mercurio? rectè negat *Th. Bangius*, adversus *A. Roccham*. Schemata literaria ab eodem tradita qualia? *Hierogl.* scriptores vetustiores. recentiores. *Alterum* Literarum Ægyptiacarum genus. an admittendum? quale fuerit? *Tres* aliæ notarum species à *Cl.Alexandrino* traditæ. Quatuor Characterum differentiæ. Instituitur collatio Literarum Sinicarum & Ægyptiacarum. *Tria* conformitatis specimina. Litera Regia. Figura Draconis. Crucis signum. quibus tamen nullatenus omnimoda Liter. Sin.& Ægypt. harmonia stabilitur.

QUum verò enarrati illi Characteres Sinici ex omni fermè parte *Hieroglyph. Ægyptiacorum* æmuli videantur, exindequè à plurimis *Sinen-*

Sinensium Literæ pro notis *Hieroglyphicis* habitæ fuerint, operæ pretium erit, institutâ collatione, convenientiam pariter ac discrepantiam, illam paulò fusius explicatam exhibere. Præsupponimus autem duplicem Literarum *Ægyptiacarum* viam à *Diodor. Siculo lib.* 1. Bibl. Histor. traditam, tum quam ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΗΝ seu *Sacram* vocarunt; tum quam *Communiori* disciplina pueros docuerunt. Utramque quâ possumus brevitate, explicabimus, & cum Literis Sinicis conferamus. Prior igitur non tam Literas & voces, quam (perhibente *Amm. Marcellino* lib. 17.) *integros sensus* nonnunquam significavit, eò quod sculptis rerum animaliumque figuris, quid cujusvis officii esset exposuerint. Eadem Hieroglyphica *Diodor. Sicul.* lib. 3. Biblioth. Histor. *Æthiopicis* conjungit h. m. περὶ δὲ τῶν αἰθιοπικῶν γραμμάτων, τῶν παρ' αἰγυπτίοις καλουμένων ἱερογλυφικῶν ῥητέον,

ῥητέον, ἵνα μηδὲν παραλείπωμεν τῶν ἀρχαιολογουμένων. συμβέβηκε τοίνυν τοῖς μὲν τύποις ὑπάρχειν αὐτῶν ὁμοίοις ζώοις παντοδαποῖς, καὶ ἀκρωτηρίοις ἀνθρώπων. ἔτι δ' ὀργάνοις, καὶ μάλιστα τεκτονικοῖς. οὐ γὰρ ἐκ τῆς τῶν συλλαβῶν συνθέσεως ἡ γραμματικὴ παρ' αὐτοῖς τὸν ὑποκείμενον λόγον ἀποδίδωσιν, ἀλλ' ἐξ ἐμφάσεως τῶν μεταγραφομένων, καὶ μεταφορᾶς μνήμῃ συνηθλημένοις. Id est: *Atque de Literis Æthiopicis, & his quas* HIEROGLYPHICAS *Ægyptii nominant, aliquid dicendum est, ne quid de priscis rebus omittatur. Primæ istarum variis bestiis & hominum membris instrumentisque fabrilibus potissimum assimiles sunt. Nam ars apud eos literaria non compositione Syllabarum, sed descriptarum imaginum significatur, & translatione per exercitationem memoriæ insculpta, subjectam orationem exprimit & absolvit.* Eandem Literaturam *Philo* lib. I. de vit. Mos. τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν appellat, & *Clem. Alexandrin.* lib. I. & V. *strom.* μυστικὴν, καὶ τὴν Αἰγυπτίων θεολογίαν salutat, imò planè *ignorabiles* dicit *Apulejus*, lib. 2. Metam. Cujusmo-

jusmodi verò hi Literarum characteres apud Ægyptios fuerint, undeque desumti, exponit *Diodorus Sicul. loco modo alleg.* scil. *Instrumentorum* aliquot, ut plurimum verò *animalium effigies* exhibuisse. Consentit *Amm. Marc.* lib. XXII. *Volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animarum species innumeras multas, quas Hieroglyphicas Literas appellarunt.* Huc pertinet relatio *R. Benjam. Tudelensis*, quæ in ejusd. מסעות seu *Itiner.* p. m. 124. reperitur his verbis: *Alexandriæ in littore maris marmoreum conspicitur sepulchrum, cui omnia avium aliorumque Animalium genera insculpta sunt cum priscorum inscriptione, quam nemo legere potest.* E *conjecturâ ferunt Regem quendam, ante diluvium ibi sepultum fuiße, cujus sepulchri longitudo* XV. *spithamarum erat, latitudo autem sex.* Idem confirmat *Herodotus* in Euterpe h. m. δυώδεκα θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας

παρὰ

παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν, βωμούς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖς ἀπονεῖμαι, σφέας πρώτους, ΚΑΙ ΖΩΑ ΕΝ ΛΙΘΟΙΣΙ ΕΓΓΛΥΨΑΙ. Id est: *Duodecim Deorum nomina primos Ægyptios existimasse, atque Græcos ab illis cœpisse, eosque primos aras & imagines, & Templa DIS invenisse, ET ANIMALIA LAPIDIBUS INSCULPSISSE.* *Tacitus* lib. XI. Primi Ægyptii per figuras *Animalium* sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta Ingenii Humani impressa *Saxis* cernuntur: Conf. *Jo. Pier. Valerian.* Hieroglyphic. lib. XLVII. cap. 27. & *Cælium Rhodigin.* libro XXIV. Antiquarum Lection. cap. 26. Hujusmodi verò Literaturam conspicere licet in Mensa *Isiacâ* sive *Bembina*, quam superiori Seculo Mantuæ Dux è *Bembi* Cardin. Museo domum suam transtulit quamque illustrare tentarunt *Laurentius Pignorius* Patavinus, *Georgius Herwartus*, & cum primis

mis *Athanasius Kircherus*, Tom. III. Oed. Ægypt. Syntagm. I. p. 79. seqq. *Jaspidem* cum Literis Sacris Ægypt. suppeditat summus vir *Thomas Bangius*, Cæl. orient. Exerc. II. quæst. 3. Omnem hunc Literarum Hieroglyphicarum thesaurum, speciosam illam Bembinam Tabulam, & quicquid præterea passim superest, ne per Oedipum solidæ quicquam suppeditare doctrinæ judicat Incompar. *Conringius*, lib. I. de Hermet. Medic. cap. 14. Ab Æthiopibus verò hunc Symbolicum scribendi modum provenisse nonnulli affirmant, de quo tamen meritò dubitat *Cl. Waltonus*, l. d. prol. II. Appar. ad Bibl. Polygl. pag. 9. eò quod Æthiopes potius Ægyptiorum colonos fuisse probabile sit. *Mercurio* verò tanquam primo inventori literas sacras attribuit *A. Rocha in* Biblioth. Vatican. seu Comment. Variar. Artium & scientiar. quam opi-

opinionem ſolidè refutat *Dn. Bangius* l.d.pag. 111.& 112. Nos etiamſi ſchemata illa literaria reciperemus, neutiquam tamen iiſdem in illuſtri notarum *Hieroglyphicarum* Gymnaſio, verum infimâ fortaſſe *vulgarium* ſeu ἐπιστολογραφικῶν claſſe locum concederemus. *Athanaſius Kircherus* Oedip. Ægypt. Tom.1. Claſſ.5. c.10. poſtquam Ægyptios per occultas & abditas Symbolorum ſignificationes, eadem quæ Ebræi & Saraceni per literas præſtitiſſe oſtendiſſet, omnem ſuperſtitioſè Philoſophandi originem, ab Ægyptiis proveniſſe ſtatuit. Hanc verò Philoſophiam Symbolicam ab Ægyptiis inventam, poſtmodum auxerunt *Chæremon*, *Pythagoras*, *Horapollo*, *Niliacus*. Alii verò excellentes Philoſophi, ſcriptoreſque nobiliſſimi, *Athenæus*, *Clemens & Cyrillus* Alexandrini, *Origines* Adamantius, *Pauſanias*, *Porphyrius*, *Plinius*, *Apulejus*, *Plutarchus* egre-

giè

giè illuſtrarunt. Superiori tandem ſeculo penè intermortuam admirabili ingenio, ac ſtupendo labore excitavit, ſuiſque numeris perfecit *Jo. Pierius* Valerianus, magnis illis *ἱερογλυφικῶν* commentariis, quibuſcum Hieroglyphica *Horapollinis*, à *Davide Hoeſchelio*, fide codicis Auguſtani Mscr. correcta & ſuppleta ſunt edita. Adde *Michaël: Majeri* Arcana Arcaniſſima, h.e. Hierogl. Ægyptio-Græca, ſex libris comprehenſa. *Bolzan. Bellun.* de Sacr. Ægypt. & *Henr. Orei* viridar. Hierogl. Noſtra demum ætate Liter. Hierogl. abſolutiſſimam dedit *Athan. Kircherus*, ſtupendo *Oed. Ægypt.* opere, nec non, in *prodr. Copto*, *Linguâ Ægypt. reſtitutâ*, & *Obeliſc. Pamphil.* in quibus opp. omnium obeliſcorum, mumiarum, Tabularum, aliarumque inſcriptionum, quæ ullibi haberi poterant figuras, ipſarumque explicationem dedit. Nec con-

tem-

temnenda denique de eâdem philosophiâ velut in Synopsi tradiderunt *G. I. Vossius*, de *Arte Grammat.* lib. I. cap. 41. & de *Sect. Philosoph.* p. 14. seqq. *Heurn.* Philos. Barb. lib. I. pag. 52. seqq. & lib. 2. pag. 204. *Cl. Bangius* Exercit. Literar. IV. pecul. edit. Havn. 1641. *Jo. Goropius Becanus*, libb. XVI. de Hieroglyphic. cum reliquis operib. edit. *Jacobus Masen* Spec. Imag. Verit. occultæ, lib. VI. cap. 6. & *Georg. Hornius* Hist. Phil. lib. VII. cap. 6. conf. lib. IV. de Orig. Gent. Amer. cap. IV.

Cum verò *Ægyptiorum* Sacerdotes postea deprehenderent, hunc instituendi & docendi modum ob vitam nostram brevem, caducam, & fluxam nimis fore incertum ac dubium, pauloque post plane interiturum, alium, & quidem faciliorem excogitarunt. Etsi verò nonnulli Ægyptiis præter Hieroglyphicas nullas alias literas concedant,

(è quo-

(è quorum numero *Mercerus* est not. ad Horap. refutatus *à Kirchero* Obel. Pamph. lib. II.) easque semper integras sententias & dissertationes significasse credant; concinentem tamen fidem scriptorum (differentiam illam expressis verbis tradentium) repugnantem habent. *Diodorus Siculus lib.* I. *Bibliothec. Historic.*: παιδεύουσι δὲ τοῖς υἱοῖς οἱ μὲν ἱερεῖς γράμματα διττά, τὰ δὲ ἱερὰ καλούμενα, καὶ τὰ κοινοτέραν ἔχοντα τὴν μάθησιν. Cujusmodi verò alterum hoc Literarum Ægyptiacarum genus fuerit explicat *Lucianus* in Hermot. his verbis: τί γὰρ εἰ μηδὲ γράμματα γράφοιμεν ἐπὶ τῶν κλήρων, ἀλλὰ τινὰ σημεῖα, καὶ χαρακτῆρας οἷα πολλὰ Αἰγύπτιοι γράφουσιν ἀντὶ τῶν γραμμάτων. *Nullus olim Literarum figuris, sed signis quibusdam & characteribus sortes connotabantur, cujusmodi permulta literarum loco usurpant Ægyptii*; Et *Ammian. Marcell.* lib. XVII. Non ut nunc Literarum numerus præstitutus, & facilè exprimit quicquid humana mens

conci-

concipere poteſt, ita priſci quoque ſcriptitarunt Ægyptii, ſed ſingulæ literæ, *ſingulis ſerviebant nominibus & verbis*. Differentia igitur inter utramque Literaturam potiſſimum in eo conſiſtit, quod prior illa integros ſenſus & periodos, nec non maxima myſteria ſignificaverit, & à ſacerdotibus ſolum uſurpata fuerit; poſterior verò ſingula duntaxat vocabula, abſque ullo ſenſu arcano denotaverit. Neutiquam verò eaſdem habuerunt voces mutatâ tamen ſignificatione, quæ unam quodammodo ſcitâ & myſticâ interpretatione exprimat ſibi convenientem ſententiam, uti nonnemo probare conatus fuit. *Tres* verò ſpecies, enumerat *Porphyrius* in vit. Pythag. Γραμμάτων δὲ τρίσσας διαφοράς, ἐπιστολογραφικῶν τε, καὶ ἱερογλυφικῶν, καὶ συμβολικῶν, τῶν μὲν κυριολογουμένων κατὰ μίμησιν τῶν δὲ ἀλληγορουμένων, κατά τινας αἰνιγμούς. Triplicem hanc literarum viam *Clemens Alexandrinus* lib. v. ſtrom. explicat egregiè, puta

ἐπιστο-

ἐπιστολογραφικὴν, ἱερατικὴν, quà ἱερογραμματεῖς sive *sacrorum scribæ utuntur*, & ἱερογλυφικὴν, *seu sacrarum rerum sculpturam*, quæ tamen ut plurimum variaverit.

Quatuor denique Characterum Ægyptiacorum genera ex Arabico quodam scriptore recenset *Kircherus Obelisc. Pamph.* lib. 2. cap. 1. sed (judicio *Cl. Waltoni*, d. l.) ita confusè, ut quæ nam fuerint, vix intelligatur. Magis approbat *Clementis* distinctionem, sed nec illa sufficit, cum ex ejus verbis nondum colligatur, quomodo *sacerdotales literæ* ab *epistolaribus* propriè differant? an aliud habuerint Alphabetum? an Symbolis expressæ fuerint? & denique quomodo singulas ab aliis distinxerint?

Sed collationem tandem Literarum *Ægyptiacarum* atque *Sinicarum* instituamus. Tametsi igitur *Sinenses* pariter ac Ægyptii ex variis Animalium, vegitabilium, plantarum & in-

& instrumentorum compositione sensa sua olim manifestaverint; maxima tamen differentia Literarum *Sinicarum* & *Hieroglyphicarum* deprehenditur. Ægyptii enim suas in communi conversatione nullatenus adhibebant, nec promiscuè omnes atque singulos ad illarum cognitionem admittebant. Deinde neutiquā simplices voces (ut Sinica grammata) exprimebant, sed integros conceptus & periodos; v. g. in Æde quâdam sacra (quæ *Pylon* vocatur) referente *Clem. Alex.* V. strom. expressus est puellus symbolum generationis, senex verò interitus, rursus Dei accipiter, & piscis odii, & in alio signo crocodilus impudentiæ; universum igitur hoc Symbolum simul positum significat: *O qui nascimini & interitis, Deus odio impudentiam habet.* Alio Symbolo Deum significabant *oculo* depicto, cui & baculum seu sceptrum subdebant;

cò quod Deus unus ſit, qui omnia videat, & penes quem ſit præcellens Regiaque dignitas. Denique occultas etiam rerum virtutes, ſummaque in orbe myſteria *Hieroglyphica* Ægyptiorum connotabant. Jam enim (perhibente *Diodoro Siculo*, *l. d.* *Accipitrem*, *Crocodilum*, *ſerpentem*, jam de corpore humano aliquid, puta *oculum* manum, faciem, & id genus alia ſcribunt, *Accipiter* illis cuncta quæ celeriter fiunt ſignificat, quod avis hæc ferè omnes alias velocitate ſuperet, *Crocodilus* omnis malitiæ index eſt. Oculus Juſtitiæ ſervator, & cuſtos corporis. Membra dextera expaſſis digitis victus ſuppeditationem; Siniſtra contracta conſervationem facultatum & cuſtodiam denotant. Quæ omnia cum non in moderna ſolum, verum antiquiſſima etiam *Sinenſium* Literatura deſiderentur, ſummum illud maximumque diſcrimen nemo non depre-

deprehendit. Acutæ interim & ingenioſæ alluſiones, quæ nonnunquam apud *Sinas* etiam inveniuntur, (& ab *Athan. Kirchero* Oed. Ægypt. Tom. III. Theatr. Hierogl. cap. 2. p. 13. 14. collectæ ſunt,) ad *Hieroglyphicorum* Subtilitatem quandoq; accedunt. Quanto magis verò à Majorum ſuorum Literaturâ, ipſi *Sinenſes* receſſerunt, tanto minus moderni characteres *Hieroglyphicorum* ἀκρίβειαν præ ſe ferunt, cùm ut ante dictum *Sinæ* moderni non figuratis amplius characteribus, ſed certis quibuſdam *linearum ductibus* utantur, qui tamen figuratas antiquorum literas aliquo modo referrent. Longè exactius alterum illud *Scripuræ Ægyptiacæ* genus (quo quælibet res *ſigno* peculiari exprimitur,) cum Sinicis Literis convenit. Atque in hoc ipſo mirificè Rerum Indicarum Scriptores conſentiunt, *Martinius* ipſe Hiſt. Sin. pag. 12. fatetur illas *notas* &

numeros à Fohio Imp. inventos, ad *Ægyptiacos* quam proximè accedere, quum figura quælibet rem significandam ipso aspectu exhibeat, v.g. ⨀ *Solem*,  *Montem*, *&c.* Attamen non diffiteor nonnullas Literas Sinicas quam proximè ad *Hieroglyphica* etiam, adeoque priorem characterum Ægyptiacorum ordinem accedere. Tria hujus rei specimina adjungamus, quorum duo priora ipsi observavimus, tertiū *Kirchero* debemus. I. *Regia Litera*,  seu *Sceptrum* cum *oculo*, exactè cum illo Ægyptiorum Hieroglyphico convenit, quo Deum oculo depicto subjunctoque sceptro significarunt. Justitiæ quippe servatorem per oculum denotatum fuisse supra jam annotavimus, adeò, ut ubicunque inveniatur sceptrum cum oculo, legendum sit: *Ego sum Osiris Jupiter justus, qui universo orbi imperavi*; En! quam egre-

egregiè Litera hæc in *Sinarum* Scholâ appelletur *REGIA*. Confer *Pier.* Hierogl. lib. XXXIII. cap. V. *Macrob.* Saturn. lib. I. cap. 21. *Gerh. Jo. Voß.* lib. 2. Theol. Gent. cap. 10. & *Phil. Camerar.* Hor. Subcisiv. part. II. cap. V. & VIII.



II. Signum Draconis, sive Imperii Sinici Symbolum, ante inventum Literarum usum, ab Ægyptiis ad motus reciprocos astrorum, & Imperiorum vicissitudines exprimendas usurpatum fuit, trad. *Isidoro Hispal.* lib. V. cap. 36. Confer *Demsterum* ad lib. IV. Antiq. *Jo. Rosini*, cap. IV. Imò propter idem Regis Sinici & Ægyptiaci signum, hunc ab *Ezechiele* cap. XXIX, 3. MAGNUM DRACONEM appellatum fuisse probabile est. Huc facit, quod *Sinarum* Reges, instituto Barbarico, cum legatos audituri sint, in vasti *Draconis*, seu Serpentis simulachrum

ſe includant, eque feneſtella vitrea non viſi ipſi auſcultent, ad metum atque majeſtatem conciliandam. III. Sæpiſſimè inter Characteres Sinicos ſignum *Crucis* (quod non ſecus ac apud Ægyptios numerum denarium ſignificat) eſt perfectionis Symbolum, annotante *Kirchero*, Oed. Ægypt. Tom. III. Theatr. Hierogl. cap. 2. p. 13. Confer. *Jo. Gor. Becanus*, Hierogl. lib. XVI. p. 269. Propter quam tamen qualem conformitatem nullatenus ſtatuendum eſt, Literas *Sinicas* eaſdem eſſe cum celebratis illis atque decantatis *Hieroglyphicis* vetuſtiſſimorum Ægyptiorum Characteribus.

Sectio VI.

SECTIO VI.


ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ Literaturæ Sinicæ cum Literis *Gymnosophistarum* & *Druidum*. *Mercurii Trismegisti*. Symbolis *Pythagoricis*. *Zoroastris*. *Orphei*. Cabbalâ *Ebræorum*. *Muhamedanorum*. *Romanorum* notis. Scriptura *Peruanorum*. *Mexicanorum* & *Armenorum*. Lingua *Sinica* tribus de causis difficilis. Vocum Ambiguitas quomodo tollatur à Sinens. atque Jesuitis.

ANtequam verò ad PHILOSOPHIÆ SINICÆ capita accedamus, *Σύγκρισιν* quandam Literaturæ hujus, cum aliarum Gentium *notis* præmittere visum fuit, ut exinde appareat, hunc difficilem & intricatum scribendi modum neutiquam *Sinas* duntaxat hucusque usurpasse, verum Nationes quoque alias per longa seculorum decursa tempora retinuisse, exercuisse. Quod ut tanto felicius fiat, nec turpis (ut plerunque accidit) confusio oriatur, ante omnia notamus, Universam veterum *Cryptographiam*, vel in *Symbolorum* atque *sententiarum* obscuritate,

vel *Signorum* ſive *Characterum* diffi-cultate latuiſſe. Hæc literas (ex parte) *Ægyptiacas*, *Sinicas*, *Peruanas*, *Mexicanas*, aliaſque complectitur; illa univerſum fermè Theſaurum *Symbolicum Ægyptiorum*, *Mercurii*, *Pythagoræ*, *Græcorum*, *&c.* comprehendit. De quorum convenientiâ pariter ac diſcrepantiâ à Literis *Sinicis* nunc agendum erit. Primum ordinem quod attinet, certum eſt, omnes ferè vetuſtis temporibus tam Barbaros quam Græcos (qui de rebus divinis aliquid ſcriptis mandarunt) rerum principia occultaſſe, ipſumque τὸ ἀληθὲς, *Signis*, *Symbolis* & allegoricis quibuſdam figuris tradidiſſe. Primi qui ad hanc rem confirmandam à nobis producuntur GYMNOSOPHISTÆ AC DRVIDÆ ſunt, quos per SENTENTIAS docuiſſe *Laërtius lib.* I. tradit. Probabile autem eſt eoſdem ut alia multa, ita hunc etiam ſcribendi modum ab

Ægy-

Ægyptiis accepiſſe. Triplicem quippe Mundum, *Intelligibilem* ſc. *Cœleſtem* & *Elementarem* admiſerunt cum illis, hincque duodecim Zodiaci ſignis, Planetis & creaturis aliis, certas quaſdam literas aſſignarunt, illarumque proprietates, effectus & operationes iiſdem indicarunt. Speciminis loco apponamus triplicis Mundi characteres, quorum prior *intelligibilem*, alter *Sidereum*, tertius *Elementarem* exprimit.



Hoc univerſum autem figura



notatur. Meritò hic egregiam convenientiam obſervamus. *Sinæ* enim ex vetuſtiſſima traditione, ac vitioſſima perſuaſione, *quadratam* quoque figuram orbi tribuunt. Alios quam plurimos *Gymnoſophiſtarum* characteres ad influxus Planetarum præcipuè pertinentes ſuppeditat *Athanaſius Kircherus*, Tom. III. Oed. Theatr. Hierogl.

cap.3. ubi etiam illorum differentiam ab Ægyptiorum Hierogl. explicat atque illustrat.

Quum verò Sect. Super. *Sinici* cujusdam operis Yeking dicti fecerimus mentionem, quod judice *Martinio* (Hist. Sin. pag. 6.) nil nisi *Philosophiam Mysticam*, Pythagoricæque per similem contineat; quænam aut qualis illa olim fuerit explicandum, tum discrimen à Symbolis Sinicis, (si quod deprehenditur) ostendendum erit. Traxisse autem illam potissimum à *Mercurio Trismegisto* originem vulgo statuunt; hunc Theologiæ suæ mysteria non nisi per allegorias exposuisse, easque *Surmobolum* & *Thurronem*, in lucem protraxisse, ex *Sanchoniathone* author est *Eusebius lib.* 1. *προπαρ.* cap.7. *Philo Bibliensis* Græcus, *Sanchoniath.* ejusdem interpres, mentionem facit commentariorum *Taauti* seu Mercurii illius, de cultu Deorum, & scri-

ſcriptura arcanâ, in quibus ſerpenti divinam naturam idem adſcripſerit; imò incredibilem librorum *Taauti* hujus numerum fuiſſe, quos ediderit de DIS Empyreis, æthereis & Cœleſtibus, trádit *Jamblichus* opere de Myſteriis. Hæc omnia tamen dubia prorſus atque incerta ſunt, Librorum illorum præter *Philonem* & *Jamblichum* nemo meminit, nec præter nudum titulum eorum aliquid à multis ſeculis conſpectum eſt. Meritò etiam *Jamblichi* relationem ſuſpectam eſſe judicat *Brianus Waltonus*, Prol.2. p.7. Talis enim redditur ab ipſo *Jamblicho*, qui initio ſtatim libri ſui Ægyptiorum ſcriptorum morem fuiſſe affirmat, ut omnes libros, inventaque omnia *Mercurio* attribuerint. Nec deſunt qui *Hermetem* illum fictitium ſaltem, ſcriptaque illa fabuloſa prorſus nuncupent, inter quos *Magnus Conringius* eſt, de *Hermet. Medic.* cap. 7. conſ.

Doctiss. Historiæ Literariæ conditorem *Pet. Lambecium*, Prodr. lib. 2. cap. 1. Omnes autem atque singulas Literarum formas Taauto attributas describit *Kircherus Oed. Ægypt.* Tom. III. diatrib. 2. Certiores de PYTHAGORA sumus, illum (cum dicente *Jamblicho*, lib. 1. de vit. Pyth. *Ægyptiis* debeat τὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον συμβολικὸν) hanc philosophiæ partem ita excoluisse, ut magnam suæ doctrinæ partem hisce mysteriis occlusam esse voluerit. Quam in rem ab *Eusebio* l. d. lib. 2. c. 1. citantur verba cujusdam *Aristotelis* (non Stagir.) quibus *Pythagoricos cuncta celasse* demonstravit. Comprehendebat autem συμβολικὸν hoc doctrinæ genus brevia quædam & ænigmatica dicta, quibus arcana plurima, præcipuè verò utilia vitæ præcepta *Pythagoras* complexus fuit. De his *Pythagoræ Symbolis* integrum librum conscripsit *Alexander Cornelius*, *Polybistor*

lyhiſtor dictus, περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων, cujus mentionem facit *Clemens* στρωματεῦσι lib. I. Extat autem MSCR. *Pariſiis* in Bibl. Reg. num. DXCIII. MDXCVI. MDCCLIII. MMLXXXVIII. E recentioribus eadem expoſuerunt *Claudius Minoës*, Append. ad *Andr. Alciati* emblemata, edit. Antw. 1577. & cum comment. 1602. *Athanaſ. Kircherus*, Oed. Ægypt. tom. II. p. I. Claſſ. III. cap. V. pag. 157. 158. 159. ſeqq. & *Lilius Gregorius Gyraldus* Ferrar. libb. II. in quorum poſteriori pleraq; antiquorum ænigmata cum ſymbolis *Pythagoricis* continentur, & (judice *Voßio*, lib. II. de Sectis Philoſoph. cap. VI.) omnium accuratiſſimè explicantur. Utinam verò (ſic cum eodem nos quoque optamus,) extarent quæ de *Pythagorea Philoſophia* ſcripsêre *Ariſtoteles*, *Androcydes*, *Antiphanes* & *Alexander*; utinam ſupereſſet *Philolaus*, qui Pythagoræ dogmata conſcripſit, utinam & *Didymus*,

quem

quem de Philosophia *Pythagoricâ* librum composuisse author est *Clemens Alexandrinus*, lib. 1. strom. Hoc itaque apparatu ab injuria temporis consumto, fragmenta duntaxat colligere cogimur, & quæ à *Laërtio*, *Plutarcho*, *Malcho* sive *Porphyrio*, *Jamblicho* & *Cicerone* annotata reperiuntur, æstimare.

Passim etiam occurrunt *Symbola* nonnulla ZOROASTRI adscripta, quæ tamen ab aliis *Hermeti* attribuuntur; nec satis constat, num à *Zoroastre Procconesio, num Persomedo, num* verò *Bactrianorum Rege* (primo Zoroastre) originem traxerint. Vulgo autem *Zoroastri* secundo seu *Persomedo* λόγια illa μαγικὰ & vetustissima *symbola* adjudicantur, quæ tamen non immeritò pro spuriis, confictis & adulterinis habentur. Duos solum *Zoroastris* nomine gaudentes enarrat *Gentianus Hervetus Aurelianensis*, (Comment. in lib. 1. Stromat. *Clement.*

ment. Alex.) & poſt eum *Jo. Cluverus* (Epit. Hiſtor. lib. 11.) Suidæ veſtigia ſecutus. Nec duos aut tres tantum, verum multo plures *Zoroaſtres* floruiſſe exiſtimat *Jo. Biſſelius*, (Illuſtrium Ruin. Decad. 1. Ruin. *Zor.*) quæ ſententia à vero neutiquam abhorreret, modo firmioribus fundamentis ex antiquitate petitis, fuiſſet ſtabilita. Duobus certè aut tribus geſta illa & inventa omnia attribui vix poſſunt. Sed in *Symbolorum* illorum authore determinando tempus conſumere nolumus. Sufficiat, quod illa, quæ olim extiterunt, cum *Hermeticis* oraculis & *Hieroglyphicis* Ægyptiorum ſenſibus convenerint egregiè. Ea certè quæ de rebus divinis, *Mundi Authore, Angelis, Orbe, Menteque humanâ* egerunt, hieroglyphicis verborum involucris ita abſcondita fuerunt, ut nonniſi ab exercitatiſſimo priſcæ Theologiæ interprete, explicari potuerint. Propterea etiam

iam *Zoroastræa* illa effata à Platonicis ΛΟΓΙΑ vocantur, eò quod supremi Numinis afflatu edita credantur. Illa verò quæ hodie circumferuntur (tradente *Jo. Pico Mirandulano* Epist. ad *Marsilium Ficinum*,) primò Chaldaico sermone exarata putantur, quæ vel à *Beroso*, vel à *Juliano* Philosopho, vel *Hermippo* etiam Græcâ civitate donata, ad nos tandem pervenerint. Eadem verò ex Philosophis Platonicis *Psello* & *Plethone*, aliisque Rapsodis *Obsopæio*, & *Fr. Patricio*, magna diligentia collecta, in unum corpus reduxit, & eruditissimis commentariis illustravit *Athan. Kircherus*, Tom. II. Oed. Ægypt. Class. III. cap. 3. De *Zoroastre* ipso evolvantur ea, quæ ex omni Authorum farragine idem tradidit lib. I. *Obelisc. Pamphil.* adde *Plinium*, lib. VII. c. 16. & lib. XXX. c. I. *Amm. Marcell.* lib. 23. *Clem. Alex.* V. strom. *Euseb.* X. *προπαρ.* *Heurn.* Philos. Barb. lib. II. c. I. præ-

pri-

primis verò doctiſſimum *Biſſelium*, l. d. pag.392. ſeqq. & Cl. *Lambecium* Prodr. Hiſt. Lit. lib. 1. cap. 5. ubi de *Bactriano*; & cap. 7. ubi de *Perſomedo* diſſerit, adde libri 1. cap. VII.

Cum verò referente *Diodoro Siculo*, (lib. 1. Bibl. Hiſt. c. 23.) *ORPHEUS* etiam *Ægyptiorum* ſacris fuerit initiatus; hinc mirum adeò non eſt, illum quoque plurima *Symbolicis* verborum involucris à profanorum notitia ita occultaſſe, ut cortice duntaxat cognito, medulla, non niſi ſapientiæ filiis acceſſa permanſerit. Nec incongruè ex illo Diodori loco *Athanaſius Kircherus* Obeliſc. Pamphyl. lib. 11. cap. 3. probare conatur, *Orpheum*, ipſam doctrinam *Hieroglyphicam* ex frequenti cum ſacerdotibus Ægyptiacis converſatione didiciſſe, & ad Græcos tranſtuliſſe. De copia librorum ab *Orpheo* hoc conſcriptorum traduntur plurima, ipſiuſque ingenii partus in omni ferè lite-

literaturâ ſcientiaque nec pauci nec ignobiles numerantur, qui tamen ex parte meritò pro ſuppoſititiis habentur. Vid. *Clem. Alex.* lib. 1. ſtrom. *Suidam* v. ὀρφεὺς. *Voſſ.* de Arte Poët. c. XIII. §. 3. *Bochartum* p. 11. Geogr. S. lib. 1. c. 39. & *Lambecium*, d. l. lib. 1. cap. IV. Edidiſſe enim fertur *PHYSICA*, de Elementorum mutua inter ſe generatione, deq; lapidibus librum, quem ὀγδοηκοντάλιθον ab *octoginta* videl. diverſis *lapidibus* nuncupat: *HISTORICA*, de Argonautarum in Colchos navigatione: *MATHEMATICA*, de ratione motuque ſiderum, deque Divinationibus ex aſtrorum aſpectu, converſionibus, oppoſitione, conjunctioneque. *MYTHOLOGICA*; de Gigantomachiâ, de Proſerpinæ raptu, de fictis etiam ſeu veris laboribus Herculeis. Scripſit præterea juxta nonnullos de *oraculis*, quæ tamen ab aliis *Onomacrito* attribuuntur; inſuper librum

brum *χαριστηρίων τῆς ὑγιείας gratiarum actiones de ſanitate*; de Vaticiniis & auſpiciorum obſervationibus; de ſomniorum interpretationibus; de ſignis item, portentis atque prodigiis; de Palladis ac Veneris ſacrificiis; de luctu Ægyptiorum propter *Oſirin*; porrò teſte *Suidâ* edidit *Τελέσμους*, ſeu de *Ternario numero*, compoſitioneſque alias, quas Hieroſolicas, Coſminas, Neoteuticas vocant, unà cum variis diſcurſibus ſacris quos in XXIV. libros diſtribuit. Conſcripſit etiam *Throniſmos* & *Bacchicos*, deſcenſum ad inferos, Peplum, & 3200. verſus onomaſticos, de ſacrificiis & immolationibus, hymnoſque complures, de Mundo ceu Numinis unius opificio, de Deo, tanquam *unâ quâdam æternaque Naturâ*, de perſonarum item in divinis *ternione*, &c. Quæ carmina ſola, veluti aſſumenta quædam ex tàm nobilium mercium naufragio ad noſtram æta-

ætatem pervenerunt; Illa etiam illustravit atque explicavit ἀθανάτη© ille *Kircherus*, Tom. II. Claſſ. III. cap. IV. De *Orpheo* ipſo vid. laud. *Biſſel*. Illuſtr. Ruin. Decad. II. Ruin. *Orph.* *Otthonis Heurn.* Antiq. Philoſ. Barb. lib. II. cap. 26. *Lambecium*, l. d. lib. II. cap. 4.

Hujus verò *PHILOSOPHIÆ SYMBOLICÆ* non contemnenda in dicto libro Sinico *YEKING* veſtigia reperiuntur, quæ in Naturalis ſapientiæ evolutione potiſſimum occurrent. Quemadmodum verò *Symbolis* illis præcipuè *Theologica* involuta reperiuntur; ita ſummum quoque *Incarnationis* Myſterium, à *Confutio* Doctore Sinico non cognitum ſolum, verum ſequenti ſymbolo explicatum perhibetur. Annotavit illud *Martinius Hiſt. Sin. p.* 131. h. m. Anno Imp. *Kingi* XXXIX. fortè *Lù* Regis venarores extra portam urbis occidentalem Animal rarum *KILIN* (quod

(quod Sinico idiomate *AGNUM DEI* denotat) occiderant; Id cum relatum quoque esset *Confutio*, ingenti suspirio pectus concutiens, *quis Te advenisse KILIN dixit? quis te advenisse KILIN dixit?* ingeminavit, jam jam doctrina mea extremum spectat, jam finem habet cum tu adveneris; constanti autem fama celebrabatur, viso prodigioso hoc partu, adfore quendam magnæ sanctitatis Heroëm, summæ (quæ orbi contingere posset) felicitatis Nuntium, plura vid. apud *Martin. d. l.* Alias in scholâ *Sinicâ* Arcana potiùs *Naturalia* quam Mysteria *Theologica*, Allegoriis ejusmodi illustrata reperiuntur, secus ac apud Pythagoræos, hocque non alia de causa factum esse existimo, quam quod Sinæ præeunte *Confutio* ipso, Deorum cultum nullatenus tanto studio, quanto *Ægyptii, Persæ, Græci*, &c. injunxerint, quin & Idololatrarum hæresin, (quæ inter ipsos

ipsos hodienum parum æstimatur) alto semper supercilio despexerint. Præter hanc verò Sinicorum, atque *Ægyptiaco-Pythagorico-Græcorum* Symbolorum discrepantiam, aliæ etiam quam plurimæ ex allato *specimine* à quolibet observari possunt.

Antequam verò ad alia descendamus, intricatæ hujus atque difficilis scripturæ vestigia inter ipsos *Hebræos* ostendamus, cum nec illi arcanas suas sententias, & SS. Religionis explicationes mysticas promiscuè omnibus literarum monumentis manifestare voluerint, quin potius per certam, & continuato ordine propagatam vocem posteris suis per manus tradere consueverint. Ut verò jam non dicam, varias illas & arcanas *numerorum Ebraicorum* affectiones, ab ipsis Judæorum Magistris *Platonicæ Philosophiæ morem* appellari; ipsa certè *Cabbala* nil nisi farinæ hujus mysticas & occultas

S.Scri-

S. Scripturæ explicationes continet, hinc *Reuchlinus* lib. III. de eâdem differens, inquit: *Cabbala nihil aliud est, nisi ut Pythagoricè loquar SYMBOLICA THEOLOGIA, in qua non modo literæ ac nomina sunt rerum signa, verum res etiam rerum.* Neutiquam verò hoc ipsum de *Cabbalâ* absolutè spectata, verum ad speciem certam determinata, intelligere velimus: Alterum quippe genus quod נוטריקון *Notarjecun* vocant aliquomodo *Literis Sinicis* respondet. Sicuti enim hæ singulæ rerum singularum sunt notæ; ita *Cabbala* illa nihil aliud est, quam (ut verbis *R. Nathan* ex aruch majore utar) *quando litera una sit Signum totius rei*, vel: *positio literæ pro integra dictione significante.* Exempla cum ubique sint obvia, congerere nolumus. vid. *Ath. Kirch.* Tom. II. Oed. Class. IV. p. 209. *W. Schikardus*, Bechin. Happ. p. 60. seqq. *Jo. Buxtorffius*, Tyberiad. cap. XIV. XV. XVI.

Pet.

Pet. Galat. lib. 1. de Arc. R. C. c.6. *Sixt. Senenſ.* lib. 11. Bibl. S. *Joſ. Voiſen* obſerv. ad *Reim. Martini Pug. Fid.* procœm. p.60.ſeqq. *Giſb. Voet.* Diſp. pecul. Tom. III. ſel. Diſſert. *Brian. Walton.* Appar. ad Bibl. Polygl. prol. VIII. *Sal. Glaſſ.* Phil. S. lib. 11. p. 1. tract. 11. *Jo. Müllerus* Jud. p.48. ſeqq. *Jo. Leuſdenius* Phil. Ebr. Diſp. XXVI. *Men. ben Iſrael.* Concil. p.170. ſeqq. & *Andr. Sennert.* Tractatu de Cabb. peculiari. Vetuſtiores Artis *Cabbaliſticæ* Doctores conjunctim editi ſunt *Baſil.* 1587. Nec minus etiam *Muhammedani* (qui κακοζηλίᾳ quadam *Ebræos* ſunt imitati,) cum *Sinis* conveniunt in eo, quod non ſolum literis certas herbas, lapides, metalla, animalia, &c. applicent, verum etiam variis literarum transformationibus in figuras varias utantur. Exemplum aliquod figuram *Scorpii* præ ſe ferentis ſuppeditat *Kirch.* d.l. cap. IX. Quod cum primo illo

illo *Literaturæ Sinicæ* vetuſtioris genere (ſupra ſect. IV. explicato) èque *Serpentibus & Draconibus* adornato lector ipſe conferre poterit. Alia *Muhammedanorum* teleſmata exhibuit idem *Kirch.* l. d. conf. *J. H. Hottingeri* Diſſert. de *Numis* Oriental. Tractatui de Hebræorum *Cippis* annexam, p. 152. 153. ſeqq. quo loco *laminam* auream τετράγωνον cum *Symbolicarum literarum* inſcriptione Arabicâ, ex inſtructiſſ. Ser. *Elect. Palat.* Keimeliotheca exhibet atque illuſtrat. Adde ejuſd. *Hottingeri* Hiſt. Eccleſ. part. I. cap. VIII. ſ. II.

Sicuti verò *ſententiæ* antiquorum obſcuriſſimæ fuerunt, ita *literarum rudimenta* etiam abdita reperiuntur, eo quidem fine ut non niſi impigrè ſcrutantibus paterent. Atque hæc *altera* illa arcanarum *ſcripturarum* claſſis eſt, quæ intricata potiſſimum atque difficilia *LITERARUM* ſchemata continet. Utpote Notas *Ro-*

manorum, *Peruanorum*, *Mexicanorum* atque *Armenorum*, quas eâ quâ brevitate possumus describamus, cumque *Sinicis* conferamus. De *Romanorum* notis idem certè affirmari poterit, quod de characteribus Sinicis *Martinius* annotavit, eas scil. *nullâ arte vel normâ compositas*, *sed veluti casu subjectæ rei tributas fuisse*. Continebat autem *Notaria* illa (non secus ac *Sinensis*,) tot fermè characteres, quot res & voces. Ejusmodi Notarum MC. *Ennium* invenisse credunt. Alias posteà atque alias addidit *Tyro* Ciceronis libertus, ut ex *Eus.* Chron. constat. *Persannius* quoque *Philargyrus* in augendis illis occupatus fuit, nec non *Mæcenas*, juxta *Dion.* lib. LV. (seu *Aquila* potius Mæcenatis libertus, refer. *Isid.* lib. I. Orig. cap. 21.) plurimas insuper addidit *Annæus Seneca*, ita ut numerus ille ad quinquies millenas excreverit. Quas plerasque magno labore collegit, & è Biblio-

bliotaphiis primum edidit *Janus Gruterus*, opere de *Romanorum Notis* peculiari. Ante illum verò *Jos. Scaliger* Notarum harum, Literarum singularium, vocumque abbreviatarum interpretationes adornavit, quas cum MSS. aliis, Amplissimæ Bibliothecæ Lugduno-Bat. legavit. Vid. insuper *Jo. Trithemii* Abbatis Spanheim. Polygraph. *Petri Bembi* Cardin. lib. v. epist. VIII. ad Jul. II. Pont. Max. *J. Lips.* Cent. I. Epistol. ad Belgas, Ep. XXVII. & *G. J. Voss.* lib. I. de Arte Grammat. cap. XLI.

Præter *SINAS* porrò *Peruani* hodienum non Literis, sed rerum *notis* & picturis iisque à summo chartæ ad imum utuntur. Ex quâ scripturæ convenientia non nemo evincere conatur, *Peruanos* à *Sinensibus* suam traxisse originem. Quam sententiam pecul. Tractatu refutavit *Jo. de Lact*, Dissertationi de *Orig. Gent. Amer.* opposito. Sed à *Peruanis* ad *Mexicanos*;

hi cum characteribus destituantur, quibusdam *figuris* utuntur, iisdemque Regum Chronologiam pariter ac gestarum rerum memoriam consignant. Tanta verò dexteritate literarum inopiam illi suppleverunt, ut non historias solum vitas & leges, verum quod amplius est temporum cursus, & numerorum rationes ita teneant, ut gentes aliæ longè excultiores, eorum peritiæ cedant. Tale *Chronicon Mexicanum* habet Purchasius in Itiner. suo, quod olim à Novæ Hispaniæ Pro-rege *Carolo* V. Imp. destinatum, à Gallis verò piratis interceptum, tandem *Thevetus* accepit, quo defuncto *Hackluito* cuidam traditum fuit, à quo ad *Purchasium* pervenit. Constat illud è picturis variis, quibus tum Reges suos, tum celebriora ipsorum acta, aliaque quæ posteris tradere volebant describuntur, v. g. Hispanorum adventum per hominem barbatum, ru-

braque

braque veſte indutum, ad denotandam eorum crudelitatem adumbrarunt. Specimina alia exhibet *Kircherus* Oed. Ægypt. Tom. III. cap. IV. Hanc verò Mexicanorum ſcribendi rationem ex Sinicis & Americanis picturîs mixtam fuiſſe obſervavit Doctiſſ. *Hornius* (lib. IV. de Orig. Gent. Americ. cap. XIV.) Et in nova Mexico, Culvacan, Panuco, Haiti, Peru, & aliis provinciis quam plurimis, ubi neque libri, neque ſcriptura; picturæ tamen rerum indices inventæ fuerunt. Mexicani inſuper pariter ac Sinæ charta ex arborum philiris, libriſque compactis utuntur. In Cozumel, Jucatan, Mexico, Nicaragva, Guahutemalla innumeri libri reperti ab Hiſpanis, de agricultura, plantis, majorumque rebus agentes, quo de Martyr, Gomara Acoſta, Herrera & Hornius l. d. Quum vero *Mexicana* illa ſchemata, nullâ ingenii ſubtilitate aut eruditio-

ne adornata videantur; verùm rudem saltem rerum gestarum per proprias Imagines adumbrationem repræsentent, omnique Literarum formâ destituantur; quilibet deprehendit, eadem à literis Sinicis omnino discrepare. Et licet ex variis animalium herbarum, instrumentorum figuris constructa sint, *hieroglyphicorum* tamen nomine nullatenus veniré possunt. Eandem fermè Censuram subire coguntur *Armenorum* Literæ, quæ etsi figuratis quoque characteribus exprimantur, minimè tamen cum *Sinicis* comparari, ne dum hieroglyphicorum nomine honorari possunt. Illæ enim ex arbitrio pictoris prodierunt, v.g. Litera *Armenorum* in eorum ritualibus ab initio pingitur. h. m.  Sic & per  exprimitur. De *Triplici* autem Genere Lite-

Literaturæ hujus, ut & aliis falsorum hieroglyph. schematismis consule *Kircherum l. d.*

Atque sic *Literaturam Sinicam* tum absolutè spectatam, tum cum aliarum Gentium characteribus comparatam consideravimus. Reliquum est, ut de ipsâ *Lingua Sinica*, seu sermone *Mandarino* (qui ad Literatos propriè pertinet) quædam subjungamus. Ille vero etsi à plebejis non intelligatur, ab iis tamen qui legendi artem callent etiam apprehenditur, non tamen sine magnîs difficultatibus, quarum tres potissimum observandæ veniunt. *Prima* est, quia pleræque ejus dictiones sunt *monosyllabæ*, quæ orationem cum ingenti loquentis fastidio statim interrumpunt. Hinc *Author* Adm. Sin. & Eur. Linguam hanc propter monosyllaba, vocumque brevitatem ad *Hebræam* proximè accedere judicat. *Altera* est quod multas voces habeat

homonymas, h. e. quæ plurimas & diversissimas res significent, illasque tantum nonnullis accentibus aut tonis musicis distinctas. Quam in rem historiam non illepidā apponamus: Sacerdos Italus, *Sinensi* narraturus, reperiri in *Europâ* naves, quæ turres majores magnitudine exæquent; verbo, quo *navem* designare volebat, eum dabat accentum, quem verbum quo *tegula* designatur habet. Mirabantur proinde *Sinæ*, & re velut fidem superante elusâ, petebant, cuinam tandem rei utilis hæc *tegula* foret, ac ingentem fornacem esse debuisse, in quâ hæc cocta fuerit. Dubium proinde nullum est, quin hæc accentuum discrimina, non advenis modo, sed incolis ipsis permolesta accidant, ad talem quippe ambiguitatem tollendam, & exprimendos conceptus, duo vel tria synonyma sermoni intermiscere necesse habent, cum interdum antitheses &

con-

contrapoſita voce eâdem, ſolò accentu mutato exprimantur. Exinde vero alia incommoditas enaſcitur, videl. quod à loquentis ore ſcriptio nulla excipi poſſit ab audientibus exſcribenda, neque liber ullus ab audientibus cum prælegitur intelligi, niſi librum eundem præ oculis habeant, ut æquivoci vocum ſoni (quos aurium judicio minimè diſtinguunt,) oculorum figuras intuentium fide, innoteſcant. *Syllaba* quoque exinde (apud advenas præcipuè) unâ ſæpè hâc tonorum varietate, quintuplicem facit ſignificationem, inter ſe toto Cœlo differentem, nullaque eſt omninò dictio, quæ non uno ex his accentibus efferatur. Solâ itaque pronunciatione ambiguitatem (qua unà vox 20. aut 30. res ſignificat) removent, quod nón tàm Sinis (quippe qui à pueritia huic *Linguæ* aſſueti ſunt) quam extraneis moleſtum accidit. Unde nullam to-

to Terrarum Orbe Linguam advenis æquè difficilem esse deprehendimus. Idcircò Jesuitæ, qui ad *Sinas* in negotio religionis missi sunt, quinque apices sive notas excogitarunt, quibus supra singula vocabula positis, *accentuum* sive *toni* gradus, juxta notarum musicarum modum exprimunt. Notæ vero sunt tales ˇ ˉ \ ´ ^. Harum ope dictio una v. g. *ya*, literis nostris scripta, notisque istis affecta, diversimode pronunciari debet, & diversas etiam res significat h. m. *Deus* yâ, *murus* yā, *excellens* yà, *stupor* yá, *anser* yǎ. Quo adminiculo lingua hæc, sed non sine maximo tædio addiscitur. Exempla alia reperiuntur in Lexicis à Jesuitis conscriptis.

Tertia & ultima Linguæ *Sinicæ* difficultas in eo consistit, quod *Alphabeto* careat, vel certo literarum numero destituatur, quælibet enim res charactere peculiari notãtur. De nume-

numero autem Vocabulorum audiamus *B. Waltonum* Appar. ad Bibl. Polygl. proleg. II. p. 10. *Vocabula habent paucissima omniaque monosyllaba nomina enim non agnoscunt ultra* 326. *nec in universum ultra* 1228. *vocabula.* De Sermonis autem hujus difficultate & accentuum mutatione vid. *Athanas. Kircherum*, Tom. III. *Oed. Ægypt.* Gymn. Hierogl. c. 11. p. 10. seqq.

SECTIO VII.

A *Literatura* ad *Philosophiam*. Ejus causa *περιεργη-περχλικὴ*. Desiderium sciendi. Profectus *Sinarum* vetustissimorum in indagandis rerum causis. Philosophorum Sinicorum *Secta*. Literatorum præcipua. Ejus dignitas. Authoritas. institutio. Author *Confutius*. Hujus existimatio. Fanum. Scripta. Catalogus librorum Sinicorum.

QUa igitur occasione, quibusve rationibus moti *Sinenses*, sapiētiæ studium tàm maturè excoluerint, vix aliunde cognoscimus, quam si universæ Philosophiæ incunabula

perpendamus. Causam vero προκαταρκτικὴν omnis Studii & laboris, tantâ cum voluptate, in abstrusissimarum rerum ortu indagando consumti, merito cum *Philosopho nostro* (1. Met. c. 1.) *Naturale illud sciendi desiderium* constituimus; quo instigante, strenuaque meditatione accedente, artes & scientias, adeoque Philosophiam ipsam provenisse dubium non est. Illud verò desiderium *Sinica* præcipuè Gens, à primâ statim origine declaravit mirificè, adeò, ut ejusdem saltem beneficio, brevi tempore, tàm stupendos profectus Sinas acquisivisse credamus. Quippe non solùm Artes & scientiæ primorum Impp. ætate ferè omnes inventæ; verum Elementa etiam tàm Disciplinarum quàm rerum Naturalium, unà cum Musicâ à *FOHIO* primo Imp. excogitata reperiuntur. Qui verò hunc excepit *XINNUNGUS* in temporum illo-

rum

rum penuriâ, non terræ solum ferti-
litatem quinque frugum generibus, tritico, oryza, milio, frumento Indico & leguminibus sparsis, exploravit; verum in summo *Medicinæ* defectu, herbarum quoque plurimarum in expellendis morbis vires, non in alieno, sed proprio corpore expertus est, tanto quidem successu & industriâ, ut unius diei spatio *sexaginta fermè herbarum venenatarum genera* cum totidem antidotis distinxerit. Quem *Sinæ* propterea meritò Medicorum principem salutant, vid. *Martin.* lib. 1. Hist. Sin. p. 8. 9. & 13. ut & præf. Atlant. Sin. p. 7. ubi plura de Sinarum Medicina annotavit. Ex omnibus verò Gentilium *Sectis*, quæ in Europæ quidem nostræ notitiam devenerunt, nullam in pauciores errores incidisse, quam Sinarum Gentem, jucundæ Philosophantium harmoniæ facilè adscribimus. Remotò quippe contradicen-
di;

di, vel famæ acquirendæ studio, veritas non solùm integra servatur, verum ab omni obscuritate palmaque ancipiti liberatur. Etsi verò *Sinarum* Libri *Tres* potissimum sectas (*SAN-KIAO* appellatas) numerent; prima tamen (quæ *JUKIAO* seu *Literatorum* κατ' ἐξοχὴν salutatur) *Sinarum* propria, & in Regno universo antiquissima perhibetur. Hæc Rempublicam gubernat, plurimis Libris abundat, & cæteras veluti recentiores atque adventitias, alto non solum supercilio despicit, verum illarum placita rejicit atque contemnit. Nec ex iis omnibus qui Literis incumbunt, aut Literarios honores cum officiis splendidissimis adipiscuntur, ullus est, qui eandem non profiteatur, cum tota ejus institutio pacem publicam & Reip. quietem respiciat. Olim agnovit quoddam hujus *Universi principium*, Explicat stellarum motus, orbis atque Hominis

minis naturam; Rerum ortum & Interitum. Præcipuè verò in emendandis *moribus* versatur, & certas mortalium Classes constituit, quas societates nos appellamus, v. g. Patris & filii, Mariti & Uxoris, Regis ac subditorum, Fratrum denique atque amicorum, futura parum curat, legem hujus Sectæ non eligunt *Sinæ*, sed unà cum Literarum studiis imbibunt, nec ex iis qui Literis operam dant ulli ad Honores via patet; nisi ejusdem sacris fuerit initiatus. *Altera SCIEQVA* appellatur, nec non *XEKIAO* seu *FOEKIAO*, apud *Jappones* verò *Sciacca* & *Amidaba* nuncupatur. Hæc ad Sinas ab occasu pervenit, è Regno *Tiencio* vel *Scinto* importata, anno Sal. hum. LXV. Narrant Regem Sinicum somnio inductum, eò Legatos misisse, ad adducendos illorum placitorum interpretes. Philosophi isti, cum nostris, quaternarium Elementorum numerum ad

mittunt

mittunt (secus ac Sinæ reliqui,) ex quibus hunc elementarem orbem, homines, bruta, plantas, &c. constare putant. Multiplices cum *Democrito* mundos fabricant, sed maximè Animarum transmigrationem, è *Pythagoræ* disciplina videntur mutuati, quam figmentis æquè ridiculis auxerunt. Sectam hanc *Martinius Atl. Sin. præf.* duplicem esse affirmat, *Internam* videl. *& externam*, hæc Idololatriam exercet, carnium esum interdicit; illa verò præprimis in reprimendis affectibus occupatur, præceptaque egregia suppeditat, conf. *Ath. Kircheri Oedip. Ægypt. Tom.*I. *Syntagm.*v.*cap.*11. Authorem ejusdem nuncupat *Martinius* lib. IV. Hist. Sin. p. 94. *XACAM* Indorum Philosophum, à quo Idololatriam magna ex parte acceperint. Si denique *Trigautio* fides, (lib. I. *Exped. Sin.* cap. 10.) certum etiam *Triadis* modum inducit, quo tres Deos, in u-

num

num Numen coalescere fabulatur. *Tertia* verò Secta *LANZU* vocatur, à Philosopho quodam *Confutii* συσχεθέντα. Hunc fingunt annis LXXXI. in matris alvo gestatum, priusquam nasceretur, quâ de causâ *Lanzu* seu Philosophus *SENEX* dictus fuerit. Eundem verò *Martinius* lib. IV. pag. 117. *Laotanum* appellatum fuisse narrat, qui post mortem nihil nostri superesse asseruerit, finemque hominis voluptatem statuerit. Fabulæ verò illius origo è numero *novenario* derivatur, qui cum à *Sinis* pro perfectissimo habeatur, & novies in se ductus *octoginta* & *unum* colligat; hinc Natura etiam tot annis in productione hominis illius supra vulgarem modum excellentis, ex Sinarum mente laboravit, *conf. Atl. Sin. p.* 102. Eundem porrò Librum nullum edidisse *Trigautius* l. d. p. 124. author est. Post obitum tamen ejusdem Discipuli dogmata ex aliis *Se-*

ctis

ctis potiſſimum concinnata divulgarunt. Aſſerunt iſti, ſe inter reliqua inania Deorum ſimulachra, *Cœli* quoque *Dominum* venerari, ſed corporeum illum, cui multa contumelioſa contigerint. De Sectæ hujus *Numine Triplici* vid. *Trig.* l. d. Summam autem Felicitatem in Voluptate collocat, nec quicquam poſt mortem ſupereſſe magno ſtudio evincere conatur, magicas artes maximoperè commendat, & exercet. Sectæ hujus ſacrificuli impiis precationibus exorciſatos dæmones domibus pellunt, idque duobus mediis; *primò* horrenda Dæmonum monſtra in flavâ papyro atramento delineata, domorum parietibus affigunt; *Deinde* inconditis adeò clamoribus domos complent, ut & ipſi dæmones eſſe videantur. confer *Athan. Kirch. Oed. Ægypt.* Tom. I. Synt. v. c. 11. Ad primam autem ſeu *Literatorum* hæreſin revertimur, illius enim

nim placita non *Sinæ* solum, verum vicini etiam populi *Coriani*, *Leuquici*, & *Concincinenses* sequuntur. Tantam verò authoritatem applausum atque dignitatem Sectæ huic nil nisi *CONFUTII* existimatio conciliavit. De quo utpote totius Eruditionis Sinicæ principe, nonnihil addendum erit. Ille igitur in hunc usque diem inter omnes Philosophos Sinicos *Maximus* appellatur, qui quingentis quinquaginta uno annis ante Salvatoris incarnationem hanc lucem aspexit, annisque amplius LXX. ita vixit, ut non exemplo minus quam doctrinâ virtutis studium injunxerit. Ex quo apud *Sinas* etiam consecutus est, ut Mortales omnes quotquot ubique terrarum virtute præstiterunt, vitæ integritate superasse credatur. Etenim (perhibente Alvar. *Semedo*, *Relat. della Cina*, p. I. cap. 10.) Fù huomo di buona Natura, ben inclinato alla virtu, prudente,

dente, ſententioſo, & amico del ben comune. Et ſanè ſi ejus dicta factaq; attenderimus, nullatenus certè eundem Philoſophis vetuſtioribus cedere deprehendemus. Eam ob rem etiam tanta viri authoritas obtinuit, ut nullum ejus effatum à Sinenſium Literatis in dubium vocetur, ſed ab omnibus æquè hodienum in Magiſtri verba juretur. Subjungamus etiam verba *P. Jarrici* (Tom. II. Theſ. Rer. Indic. cap. 17.) Magni imprimis faciunt ſcripta cujuſdam quem *Confutium* nominant, cujus omnes doctrinam ſine ullâ contradictione amplectuntur; cujus interpretes, ut ſcripta illa vulò intelligantur, alias ejuſdem ſententias, illi, quam exponere contendunt, perſimiles adducunt, varias Lectiones inter ſe conferunt, imò & verba ſingula appendunt, quaſi numerus illorum myſticus forer. Denique non minori curâ ſollicitudineque *Confutii* doctri-

nam

nam integram ſinceramque conſervare, quam nos ſacrorum Bibliorum textum contendunt. Imò nec *Literati* ſolùm, ſed ipſi quoque *Reges*, eum per tot retro ſecula, mortalium tamen, non etiam immortalium ritu venerantur, & gratum animum acceptæ ab eo doctrinæ ſeſe exhibere profitentur. Nam & per tot temporum intervalla illius in hanc diem poſteri magno ſunt apud omnes loco. Fu queſto huomo (inquit Semed. l. d.) ad ogni modo nelli tempi ſuſſeguenti in tanta gratia appreſſo li Cineſi, & in tanto credito furon tenuti li Libri che compoſe, li Detti, è le ſenteze, che laſciò, che non ſolamente lo tengono per Santo Maeſtro, è Dottore del Regno, è ciò che di eſſo ſi cita, viente ſtimato come per coſa ſacra; ma ancora in tute le città del Regno ha Tempii publici, dove con molte cerimoniè & à ſuoi Tempi determinati è riverito, &c.

to,&c. Proprium porro Literatorum *Fanum* ipsius CONFUTII est, id per Imperii Leges ei in quâlibet urbe construitur eo in loco, quo Literarius ludus continetur. Contiguum habet Palatium ejus, qui primum Literarum gradum consecutus præest, conf. *præf. Atl. Sin. Mart. pag.* 13. De *Statua* verò CONFUTII non parum invicem dissentiunt scriptores. *Trigaut.* lib. I. Exped. Sinic. cap. 10. refert, in celeberrimo *Fani* loco illam conspici, una cum Discipulorum etiam monumentis: *Martinius* verò *lib.* IV. *Hist. Sin. p.* 132. *Statuam* (inquit) *illi non efformant, sed solum nomen literis aureis exaratum Academiæ fronti superimponunt; cui honores habentur, qui vivis Magistris solent.* Alii denique varias in templis illis Doctorum seu Philosophorum Sinicorum statuas reperiri testantur, quarum unam adjungendam esse existimavimus.

In di-



to,&c. Proprium porro Literatorum *Fanum* ipsius CONFUTII est, id per Imperii Leges ei in quâlibet urbe construitur eo in loco, quo Literarius ludus continetur. Contiguum habet Palatium ejus, qui primum Literarum gradum consecutus præest, *conf. præf. Atl. Sin. Mart. pag.* 13. De *Statua* verò CONFUTII non parum invicem dissentiunt scriptores. *Trigaut.* lib. 1. Exped. Sinic. cap. 10. refert, in celeberrimo *Fani* loco illam conspici, una cum Discipulorum etiam monumentis: *Martinius* verò *lib.* IV. *Hist. Sin. p.* 132. *Statuam* (inquit) *illi non efformant, sed solum nomen literis aureis exaratum Academiæ fronti superimponunt; cui honores habentur, qui vivis Magistris solent.* Alii denique varias in templis illis Doctorum seu Philosophorum Sinicorum statuas reperiri testantur, quarum unam adjungendam esse existimavimus.

In di-



In dicto autem *Fano* novilunio & plenilunio magiſtratus omnes *Urbani* cum renunciatis *Baccalaureis* conveniunt, *Magiſtrum* ſolitis inclinationibus ac genuflexionibus, cereis inſuper ac ſuffitu veneraturi. Die quoque natali quotannis recurrente, & temporibus quibuſdam aliis ex more deputatis, fercula illi magno apparatu offerunt. Subjiciamus tandem egregiam illam parentationem *Confutio* ab YENYUENIO adornatam. *Quanto altius attollebamus oculos, tanto longius aberat Confutii virtus; quanto magis eam penetrabamus, tanto erat ſolidior, atque impenetrabilior. Primo aſpectu æſtimantibus communis & vicina videbatur; ac repente à noſtra longiſſimè diſtantem cognoſcebamus. Magiſter noſter pulchrè atque ordine homines docebat; noſtram ſcientiam continuo minorem reddebat, compendiaria ritus omnes tradebat. Optatam ſæpe ab illius*

lius doctrina discedere, nec poteram; omnes ingenii nervos intendebam, ut aliqua intelligerem. Nemo enim pervenire ad Confutii virtutem potest, uti nec admota qualicunque Scalâ cœlum adscendere. Gratam quoque Mentem (rarâ seculi virtute) *Confutii* posteris *Sinæ* declarant. Familiæ illius principem continuò Reguli dignitas manet. Universa verò immunitatibus atque privilegiis egregiis ornata est. Admiratione verò non caret, hominem illum tantam post obitum demum authoritatem obtinuisse, cum in tristia adeò tempora inciderit, quorum injuria, maximis etiam injuriis bonum alias virum affecit; quo de diximus supra sub fin. Sect. 111. Scripta verò illius quod concernit, quatuor antiquorum volumina concinnavit, ac quintum proprio Marte conscriptum superaddidit. In quibus *Ethica* benè vivendi & Reipubl. gerendæ præcepta, veterum

F exem-

exempla, ritus atque ſacrificia continentur. Illorum autem, pariter ac Commentatorum quorundam Confutianorum copia nobis ab Incompar. *Golio* facta eſt. Præter Libros Confutii hujus alii quatuor magno ſtudio à Sinis evolvuntur, quos juxta methodum Confutianam Mensiu Philoſophus egregius adornavit. Præterea infiniti alii à Doctoribus Sinicis conſcripti typiſque mandati reperiuntur. Nonnullorum autem ex Imperio Sinico allatorum titulos atque materias ſubjiciamus:

I. De *Univerſi hujus origine*, primo authore, principiis, cauſiſque tam procreantibus quam conſervantibus, ex quo pleraque ad Philoſophiam Naturalem pertinentia deſumpta atque derivata ſunt.

II. De Medio Sempiterno.

III. De Adultorum diſciplinâ. Atq;hi duo metaphyſicæ loco à Sinis habentur, nec quenquam alium ad

eorum

eorum cognitionem pervenire posse credunt, in quibus tamennon major difficultas quam lectione Ciceronis vel Titi Livii deprehenditur.

IV. De Motu, situ, influxu, atque operationibus planetarum ut & reliquorum Luminarium cœlestium.

V. De Sortilegiis & auguriis in rebus incertis atque dubiis adhibendis.

VI. De Chiromantia, Physiognomia, hujusque farinæ scientiis aliis.

VII. De Magia Naturali, futurorum cognitione, signisque & indiciis aliis.

VIII. De origine, appellationibus, cultuque Decorum.

IX. *LIKIM f.* De ritibus atque ceremoniis in eodem observandis, deque oblationibus, atque sacrificiis.

X. De Divorum Sinicorum re-

bus gestis, miraculis, obitu, sepultura, &c.

XI. De Immortalitate animæ, futuroque ejusd. statu, luctu item, lugentiumque ritibus.

XII. Quamplurimi Libri Medici à vetustioribus pariter ac recentioribus Sinis editi, utpote de usu & virtutibus herbarum, de conservanda pariter ac restituenda sanitate, de de cura ægrotorûm, deque illis omnibus quæ à Medicis pariter ac decumbentibus observanda sunt.

XIII. De statu & conditione infantis in utero materno, nec non de iis quæ partum feliciorem aut promovere aut impedire possunt.

XIV. De Arithmetica & Mathesi.

XV. De Architectura, variisque ædificandi modis, de proportione item in dimensionibus observandâ.

XVI. De arte Equestri.

XVII. De arte Militari, Instrumentisque Bellicis.

XVIII. De Agricultura atque criteris soli fertilis.

XIX. De arte scribendi formandique characteres.

XX. Imperii Sinici provinciarumque omnium exactissima descriptio.

XXI. De Sinici Imperii Antiquitate & vetustate.

XXII. De Imperatoris authoritate, majestate, reditibus, Palatiis, &c.

XXIII. De Ministrorum Regiorum officiis stipendiis, &c.

XXIV. De Legibus atque statutis Imperii Sin.

XXV. De Regum Sinicorum rebus gestis, ut & de familiarum successione, Imperii occupatione, administratione, &c.

XXVI. De Gentibus atque populis quorum cognitio ad Sinas quoque pervenit.

XXVII. De Musica vocali & instrumentali.

XXVIII. Liber *XIKIM* ſeu De Arte Poëtica, nec non humanis inclinationibus.

XXIX. Denique de variis Ludorum generibus.

Sectio VIII.

Sinicæ Philoſophiæ compendium. Summa Perfectio. Luminis Naturalis accenſio. Præceptorum à Natura inſitorum obſervatio. Duplex *JURIS* connati manifeſtatio. Intellectus Agentis operatio. ex mente *Arabum. Ebræorum. Chriſtianorum.* Media perfectionis Sinicæ. Harmonia Philoſophiæ *CONFUTIANÆ* & *Platonicæ.* Finis ejuſd. perfectio etiam aliorum. Philoſ. *Sinicæ* diviſio. Sinarum *Poëſis.* Partis Naturalis prioritas. Error *Diog. Apolloniatæ.*

QUæ verò CONFUTII Tantæ exiſtimationis Philoſophi placita fuerint, nunc porrò diſquirendum erit. Illorum autem omnium compendium è primo *Confutii* libro exhibet Hiſt. Sin. Lib. IV. p. 129. his verbis: *Magna ſive Magnorum Virorum doctrina in eo poſita eſt, ut cum quiſque ſe ipſum perfecerit, alios quoque perfi-*

perficiat, sic ut omnes unum hoc est summum Bonum consequantur. Sed sui ipsius perfectio in eo consistit, ut quisque Lumen Naturale in se accendat, clarumque reddat, ita ut à Lege Naturæ, præceptisve à Natura insitis nunquam exerret. Quod quia sine verâ rerum cognitione scientiavè fieri non potest, inde Philosophiæ danda est opera, per quam quæ agenda quæque fugienda sunt, scientiam habeamus. Hâc scientia consilia nostra dirigimus; hâc voluntatem, hoc est utriusque actiones perficimus, ut nihil sentiamus, nihil velimus, nisi quod est rationi consentaneum. Exinde Corporis etiam existit sensuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex Virtute constitutio; quæ nunquam proventura est, si non è bonâ mente velut è fœcundâ matre efflorescit.

Absolutissimum hoc Philosophiæ Sinicæ Compendium, tum *Propriæ*, tum *Alienæ* perfectionis *PRINCIPIA, MEDIA, NORMAM, EMERGEN-*

TEM denique utilitatem exactissimè exprimit. *Principia* quidem seu prima illa perfectionis rudimenta, à splendore illo congenito deducit, quem strenua præceptorum Naturæ coævorum observatio promoveat, atque ab eodem inchoata perficiat. Cui *MEDIA* subjunguntur, *RERUM* videl. *COGNITIO*, (En! Philosophiæ *Theoreticæ* semina;) & *ACTIONUM* pariter ac *VOLUNTATIS PERFECTIO*, (habes Doctrinæ *Moralis* rudimenta.) *Norma* porrò seu infallibilis utriusque regula, *RATIO* nuncupatur, ut nihil sc. sentiamus, nihil velimus, nisi quod est *RATIONI* consentaneum. Accedentia denique commoda *Corporis sensuumque perfectione* indigetantur. Dignissima certè sunt, quæ expendantur accuratius. Ante omnia verò notandum, Sinas *SUMMAM PERFECTIONEM* neutiquam angustis adeò cancellis includere, quasi in

in *actione tantum ſecundum virtutem optimam & perfectiſsimam* conſiſtat; verum abſolutiſſimam inſuper Rerum Naturalium cognitionem; adeoque noſtro loquendi more, tam *Intellectus* quam *Voluntatis* perfectionem comprehendat. Univerſæ autem hujus inſtitutionis ratio ex mente *Confutii* poſita eſt, tum in *Luminis Naturalis* accenſione, tum *præceptorum à Naturâ inſitorum* obſervatione. Utrumque etiam exprimit *Author Libri cujuſdam Sinici de Morib.* Sub init: *Humanæ perfectionis ratio, in Lumine naturali cognoſcendo & ſequendo; inque aliorum hominum conformatione, & ſuſcepta probitate retinenda, conſiſtit.* Prius quod concernit, nec Philoſophos *Sinicos* latet, *Rationem* in homine *Lucis* cujuſdam vices ſubire, quâ intellectus humanus in percipendis & dijudicandis rerum differentiis illuſtratur. Quemadmodum enim Candelæ Lux ocu-

los juvat atque dirigit., ut quâ eundum ſit, homo probè perſpectum habeat; ita hoc duntaxat ſubſidio tenebras (quibus involutus eſt,) eludere, & caliginem propulſare valet. Sicuti etiam neutiquam ad videndum color ſufficit, ſed lucis inſuper præſidio opus eſt; ſic fulgore naturali notitiam veri percipimus, quidve falſum ſit dignoſcimus. Ob hanc rem tanta eſt inter verum in ratione poſitum, & hominis intelligentiam conſenſio: ut quod *ratio* falſum eſſe demonſtrat, *intellectus* ut verum judicare non poſſit: quodque turpe eſſe & malum oſtendit, tanquam honeſtum & bonum proſequi nequeat. Et quoties homo fallitur pro vero falſum amplexus, ideò labitur & errat, quia *falſum* ei ut *verum* appàret: Quapropter ne decipiatur, opus eſt, ut intentum & vigilantem habeat animum, rerum differentias duce ratione expendat, ut ſic ductu

ratio-

rationis tanquam veri Luminis fulgore dijudicet sitne verum an falsum quod dicitur, sitne malum an bonum quod fit: ita ut quod ratio naturalis verum esse docet, & quod bonum ostendit, id amplectatur, id teneat, & quod falsum esse atque malum judicat, id totum improbet ac respuat. Quomodo verò concessum hoc humanis Animis *Lumen*, inter mortalitatis hujusce tenebras exploratum fuerit, SINÆ etiam in dicto volum. explicant egregiè: *Principio* (inquiunt,) *qui Naturæ Lumen dispicere voluerunt, prius Regnum constituerunt. Qui autem Regnum optimis voluerunt institutis & legibus temperare, domum suam rectè administrarunt; Domum suam rectè administrare qui voluerunt, semet ipsos ex rationis præceptis formarunt; qui vitam suam penitus cum ratione consentire cupiverunt, ejus quod intimum esset, cordis scil. & mentis statum summo studio direxerunt: Qui cor*

quæsiverunt ab omni labe facere alienum, ejus cupiditatem & studium aliquod vel amplectendi, vel fugiendi ordinarunt; hoc verò ut præstarent, cujusque rei causas, & naturas noscere studuerunt. Quæ certè non solum neutiquam essent rejicienda, verũ sæpius etiam inculcanda, modo accuratius paulò *Theoretica* à *Practicis* Sinæ distinxissent.

E communibus igitur hisce notitiis atque anticipationibus, *practici intellectus* theoremata seu conclusiones fieri, non nostra solum, verum SINICA quoque Philosophia statuit. *Lumen* etenim *Naturale* ita accendendum & excolendum esse, ut *à Lege Naturæ, præceptisvè à NATURA INSITIS nunquam exerret*, Confucius in compendio suo affirmavit. Hæc verò *JUSSA NATURALIA* nihil aliud sunt, quam juris illius mandata, quod ab ipsis rerum adeoque Naturæ creatæ primordiis Universorum cordibus à Numine sanctissimo

ctiſſimo eſt inſcriptum, infuſum, imperatumque. Quam legem Philoſophi alias δίκαιον φυσικὸν & νόμον κοινὸν καὶ ἄγραφον ex *Ariſtotele* v. *Nicom.* 10. *&* 1. Rhet. 15. *Poetæ* ἄγραπτα καὶ ἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα, è *Sophocle*; Theologi τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις, præeunte *Apoſtolo* nuncuparunt. Nimirum, ut oculo à Sole ſeu ex radiis Solaribus in horologio horæ ad amuſſim demonſtrantur, ita velut in appenſâ Tabula præcepta illa perpetuò obligantia indicantur, & juxta *Philon.* Jud. *(Libro quod omnis probus Liber,)* ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ, *ab immortali naturâ, menti immortali exhibentur.* Hinc *Ebræi* eadem aliàs המצות שנתפרסמו בכל אומות *præcepta quæ manifeſta ſunt apud omnes Gentes*; item מצות שכליות *præcepta intellectiva* nuncupant, ſicuti patet ex R. Aben Tyb'on (in *Ruach. hachen, cap.* 6. & *R. Simeonis Logicâ.* In hoc quippe Naturam maximè providam

vidam fuisse deprehendimus, ut pleniſſimè illa omnia nobis ſuggeſſerit, quibus ad vitam juſte & honeſtè degendam inſtrui poſſimus. Hujus autem manifeſtationis modum *Duplicem* vulgò ſtatuunt, ſc. aut juſſa hæc in ipſis rerum primordiis à Deo *voce* fuiſſe imperata, perque *traditionem* ad poſteros derivata; aut humano generi in ipſâ *productione* implantata, animæque rationali indita; poſteriorem hunc non veritati ſolum, verum Philoſophiæ etiam Sinicæ convenientiorem eſſe putamus. Dubium proinde nullum eſt, *Sinas* ut Gentiles reliquos, ex debitâ *Intellectus Agentis* operatione præcepta naturalia obſervaſſe, èque primis illis atque congenitis principiis concluſiones etiam practicas derivaſſe. Neque enim Naturalia tantum; qualia ſunt bonum amplexandum, malum fugiendum, ſed & concluſiones & propoſitiones, quibus quænam

parti-

particularius bona, quænam ex naturâ sui mala habenda fuerint, hâc ratione Sinis innotuisse veritati collacteum est; & quidem maximè per Syllogismum Practicum, quum sicuti Dialecticâ, ita etiam Syllogismo Artificiali prorsus destituantur. *Nihil enim interest* (judice Theologo famigeratiss. *Jo. Hulsemanno*, Casuum Conscient. Manuscr. lib. II. cap. IV. §. 3.) *sive conclusiones eliciantur per Syllogismum Naturalem sive Artificialem: Quia enim ars non est aliquid oppositum Naturæ, sed potius compendium per experientiam intellectum, ideò tam per conclusiones artificiales quam Naturales informat Natura mentem Humanam*, & paulo post: *Quemadmodum in judicio accusatur & excusatur Reus, non solum per Naturales Syllogismos, ut: Percußisti hunc gladio, ut illico sanguis & mors sequeretur, ergò homicida es; verum etiam per consequentias, ut: Verres cum telo nocte ambulavit in*

illo

illo loco, conduxit proditores qui adversarium elicerent, vestis, Tunica recenti sanguine conspersa fuit, eo ipso tempore quo Clodius occisus est; Ergo Verres est interfector Clodii. Iisdem Syllogismis etiam jus Naturæ utitur, in accusationibus & excusationibus cogitationum humanarum. Hactenus ille. Etsi diffitendum neutiquam sit, non apud plerasque solum Gentes barbaras, verum *Sinas* etiam, malitiâ voluntariâ scintillas illas si non planè deletas, obrutas tamen atque obfuscatas fuisse. Quanquam enim cum *Aristotele* v. Ethic. cap. 10. *Jus Naturale* definiatur, quod πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, *ubique eandem vim obtinet*, doctissimus tamen interpres *Andronicus Rhodius* substituit παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσι, τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις. *apud homines qui rectè atque ut oportet sapiunt, non apud eos quibus laborat mens aut perversa est*, & *Michael Ephesius* ibi:

παρὰ

παρὰ τοῖς πλείστοις καὶ ἀδιαφθόροις καὶ κατὰ φύσιν ἔχουσιν. *Apud plerosque, qui tamen perversi non fuerint, sed secundum naturam se habuerint.* Ejuſdem farinæ plurima apud *Platonem*, *Senecam*, *Plutarchum*, Philoſophoſque alios reperiuntur. Atque ut in Lumine claro, oculo ſe nullo modo malè habente, nec incommodè poſito objecta rectè ſatis internoſcuntur, quod non fit in tenebris aut obſcuro lumine, aut oculo ægro, aut malè collocato; ita etiam menti ſeu intellectui humano non depravato, nec tenebris amplius involuto, ac diligentius intuenti, *juſſa* illa *Naturalia* ut & cætera intellectus objecta indicantur. Utitur hâc ſimilitudine etiam *R. Tybbon*, [*Ruach bachen*, *c.* 3.] *Intellectus humanus è potentiâ in actum educitur, atque fit principium intellectus ejus in actum educti, quemadmodum radii ſolares vel aliæ res lucidæ educunt ſenſum viſus in actum*, *&c.* Nec ipſi etiam

Sinæ præceptorum Naturalium observationem adeò inculcassent, nî detestandas aberrationes & conculcationes deprehendissent. Et à viris gravissimis jam olim observatum est, nullum fermè *Juris Naturalis*, quod juxta receptiores hominum sententias excogitari possit, caput esse, quod non ex perversis seculorum, ac Gentium, earumque illustrium, non solum moribus, sed & legibus latis fuerit violatum. Quâ de re consulas *Eusebium*, Lib. I. Præpar. Euang. c. 4. & lib. IV. cap. 15. 16. 17. *Cardin. Bessarion.* in Calumn. Platon. lib. IV. cap. 3. *Franc. Pic.* in Exam. doctr. vanit. Gent. lib. I. c. 19. & alios. Unde *Ebræi* tradunt nec *Idumæos* veteres interdictum de *homicidio*, nec *Ismaëlitas* illud de *furto* omnino admisisse. Apud quosdam helluari, scortari, fœnerari, flagitium nullum. Apud *Lacedæmonios* pueri rapere discebant. Tanta enim

vitio-

vitiorum pravarumque conſuetudinum tyrannis & immanitas eſt, ut naturæ lumen obſcurare, Synterefin evertere, homini denique hominem eripere poſſit. Quod certè nemo ignorat, qui non ſolum Perſarum, Aſſyriorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum verum etiam *Sinarum* mores atque inſtituta barbarica introſpexit, quæ ſi nondum ſufficiunt, evolvatur *Maffeji* Hiſtoria Indica, & patebit, quam turpiter mandata illa Naturalia violata atque conculcata fuerint.

Sed quum paulò ante *Intellectus Agentis* mentionem fecerimus, de eodem quoque diſcrepantes Philoſophorum ſententias explicabimus. *Arabes*, quorum ſententiam (ut infinitas alias) hac etiam in parte Sinas admittere nulli dubitamus, tametſi de ipſa intelligentia ejuſve gradu quæ intellectus agentis officium præſtet, minimè ſatis conſentiant,

Sepa-

Separatum tamen quid ex Numinis ordinatione & præſcripto id facere uno dictant ore. Illud verò neutiquam formam humanam eſſe, ejuſve partem aliquam, ſed divinius quid ſtatuunt, ut patet ex *Avicenna*, c. x. de Anim. & Metaph. tract. 9. c. 4. *Algazele* apud *Albertum M. Summ. p.* II. de qua Arabum & paganorum ſententia vid. etiam *Jo. Philopon.* in III. Anim. cap. 5. *Albert. M.* d. l. *Bonaventuram* In II. ſentent. diſt. 24. q. 4. *Jac. Zabarell.* lib. de mente Hum. præprimis verò *Fortunium Lycetum* De *Intellecte agente* lib. II. ubi copioſius eâ de re diſputat. Inter Chriſtianos Scholæ recentiores receſſerunt à vetuſtioribus. Hæ enim non *partem* Animæ ſeu ejuſdem facultatem fuiſſe intellectum agentem, ſed ipſum *Deum* immediatè illuminantem ſtatuêre; ſc. *Oxonienſ.* & *Pariſienſ.* Acad. Doctores, adverſamque ſententiam ante quadrin-

gen-

gentos annos invaleſcentem veluti novitiam impugnaverunt, quo de vid. *Jo. Seldenum*, de *Jur. Nat. & Gent. ex ſcript. Ebræor. lib.* I. p. 114. ubi *Rogeri Bachoni* teſtimonium è MSCR. quodam Bibl. Oxon. de ſcient. utilit. ad Clement. P.M. producit. E quo tamen apparet jam tunc minui cepiſſe ſententiam illam, utpote quæ poſt *Guil. Epiſc. Pariſ.* tempora à Succeſſore ejus tantum non proximo *Stephano* II. publicè Pariſ. MCCLXX. damnata eſt. Invaleſcere itaq; cœpit altera, quæ *Intellectum agentem* partem animæ, ſeu naturalem ejus facultatem eſſe ſtatuit, (aut non formam *ſeparatam* ſeu aſſiſtentem, ſed *informantem*) vid. *Alb. M.* In compend. Theol. lib. II. cap. 46. & ſum. p. II. *Thomam* I. primæ quæſt. 79. *Alex. Haleſ.* ſum. p. II. quæſt. 69. membr. II. art. 3. *Bonav.* In ſent. II. diſt. 24. quæſt 4. Sunt tamen nuperi & recentioris ævi Philoſophi, qui eam

eam velint revocatam, *J. Zabarella* lib. de mente agent. c. 13. *Card. ap. Scalig.* Exer. CCCXII. ſ. 30, *Jo, Bodinus* Theatr. Nat. lib. IV. confer *Fortun. Lycet.* lib. II. de intell. agente c. 1. Quomodocunque autem phyſicè circa hæc fuerit ſtatuendum, *Numen* ipſum *num* ſeu *Miniſtrum* aliquem ex ejuſd. authoritate intermedium, ſeu *Animæ humanæ partem* appellare debeamus, differendi amplius locus non eſt. Illud non prætermittendum, invicem differre *Ebræorum* & *Chriſtianorum* præſertim vetuſtiorum, de intellectu agente ſententias, ille enim (juxta *Moſen Maimonid.* Mor. Neb. p. I. c. IV.) *Vi atque authoritate à Numine derivata mentem humanam in actu intelligendi illuminat.* & Aben *Tybbon in Ruach bachen*, c. 3. האחרון שבשכלים הנפרדים *Separatarum intelligentiarum poſtremam nuncupat*, conf. *R. Jeh.* in Seph. *Cozri* p. I. c. 87, ex p. 4. c. 35. v. c. 10. 12. 14.

Hacte-

Hactenus *Compendii* nostri CONFVTIO-SINICI ductu *primæ perfectionis rudimenta* delibavimus. Nunc porrò *Media* propius ad eandem ducentia illustranda sunt. Illa verò solius *PHILOSOPHIÆ* titulo comprehenduntur, *per quam quæ agenda* (verba *Confutii* recito) *quæque fugienda sunt, scientiam habeamus. Hâc consilia nostra dirigimus; hâc voluntatem. h. e. utriusque actiones perficimus, ut nihil sentiamus* (in Theor.) *nihil velimus* (in Practic.) *nisi quod est rationi consentaneum.* Duorum potissimum in his verbis mentio fit, quorum primum *Intellectum*, alterum *voluntatem* respicit, illud ad *Theoreticam*; hoc ad *practicam* Philos. pertinet, utrumque ad *perfectionem* ex Sinarum mente necessarium. Atque hæc egregiè cum Platonicis illis perfectionis mediis conveniunt. *Plato* enim (non secus ac *Confutius* Sinicus) duabus rebus eandem consequi posse contendit, I.

dit, I. τῇ γνώσει perfectissimi vid-*Entis*, veram sapientiam eam appellans, quando juxta singula attributa illud cognoscitur. II. τῇ ὁμοιώσει *conformitate*, quam virtutem veram vocat, in eoque constitutam, si quis quam justissimus fieri studeat. Differt tamen *Plato* à *Confutio* in eo, quod hic omnimodam & *absolutam* humanam perfectionem; ille *divinam* etiam, mediis hisce acquiri posse contenderit. de quo conf. P. *Slevogt*. Disp. Phil. XI. de Lum. Nat. ⊙.27. Exinde magnifica adeò encomia Philosophia olim accepit. Nonnulli præeunte *Pythagorâ* perfectionem illam *ipsius Dei aßimilationem* appellare non dubitarunt, imò nimis arroganter *Stoici* hominem efferunt, cum illum ὁμοίωσιν τοῦ θεοῦ ἀπλῶς nuncupant; quasi Naturæ Lumine ac viribus consequi possemus, ut Deo verè simus æquales. Addimus *Senecæ* verba ex Ep. XLVII.

Hoc

Hoc est quod mihi Philosophia promittit, ut parem Deo faciat. Melius hâc in parte ratiocinatur *Porphyrius* περὶ τ̃ τ̃ ἐμψύχων ἀποχῆς. *Animi finis est Deo assimilari.* *Boëthius* exul & in carcere constitutus Philosophiam ita compellat: *Tu in hanc excellentiam me componebas ut* CONSIMILEM *Dei faceres* lib. I. de consol. Phil. *Themist.* Orat. I. caput ac summam totius orationis eò redire ait ὅτι μηδὲν ἄλλο ἐστι φιλοσοφία ἢ ὁμοίωσις κατὰ τὸ δυνατὸν θεῷ. *nihil aliud esse Philosophiam, quam assimilationem Dei, quatenus illa fieri possit.* Eodem etiam sensu oraculum illud Sibyllinum capiendum esse putamus: εἰκὼν ἐστ' ἄνθρωπος ἐμοὶ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα. *Imago mei est Homo rectam habens rationem.* Supersunt denique *accedentia commoda* cum infinitis utilitatibus: *Exinde corporis etiam sensuumque existit perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio, quæ nunquam proventura est, si non è bonâ Mente velut*

è fœcunda matre effloreſcit. Idem certè infiniti alii non obſervarunt ſolum, verum repetierunt inculcaruntque ſæpiſſime, prolixa teſtimonia annectere nolumus, ne lectori novarum potius rerum cupido faſtidium excitemus. Addimus duntaxat quædam è ſupra alleg. de *Moribus* volumine *Sinico*; *Quando tandem compertum fuerit ubi ſiſtendum eſt, tunc homo conſiſtit, conſiſtens quieſcit, quietus ſecurus eſt, ſecurus poteſt ratiocinari & dijudicare, demum poteſt voti fieri compos.* En! copioſiſſimam fructuum omnimodorum meſſem.

Sed non *Propiam* ſolum, verum *Aliorum* quoque *Perfectionem* promovendam eſſe, non ſolum *Magnorum Virorum Sinicorum*, verum *Europæorum* etiam doctrina fuit. Inſtar omnium ſit *Michaël Pſellus*, qui de *Philoſ. definit.* differens, ait: Καὶ γὰρ περὶ τὸ θεῖον ὥσπερ τοῖς ποιητικοῖς χαρακτηρίζεται τῷ ἀγαθῷ, τῷ γνωστικῷ, καὶ τῷ δυνατῷ, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος τοῖς περὶ τούτοις χαρακτηρίζεται. τῷ μὲν ἀγα-

μὲν ἀγαθῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον πάντων προνοεῖται, ΟΥΤΩ ΚΑΙ Ο ΤΕΛΕΙΟΣ ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ ΤΩΝ ΑΤΕΛΩΝ ΨΥΧΩΝ ΠΡΟΝΟΕΙΤΑΙ, ΕΠΙ ΤΟ ΤΕΛΕΙΟΝ ΜΕΤΑΓΩΝ ΑΥΤΑΣ ΔΙΑ ΤΗΣ ΓΝΩΣΕΩΣ. τῷ δὲ γνωστικῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον πάντα γινώσκει, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος τὰς αἰτίας πάντων γινώσκειν ἐπαγγέλλεται. τῷ δὲ δυνατῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον ὅσα βούλεται, δύναται, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος ὅσα βούλεται, δύναται. hoc est: *Tribus enim notis divina majestas apud poëtas insignitur, bonitate, scientia, & potentiâ; Itidem & perfectus Philosophus his tribus notis est insignis; Bonitate quidem, quia sicuti divinitas omnibus providet, ita & Philosophus perfectus* IMPERFECTARUM ANIMARUM *curam gerit, per* COGNITIONEM *eas ad* PERFECTIONEM *deducens; Scientiâ autem, quia ut Deus omnia cognoscit, ita & Philosophus consummatus omnium causas scire pollicetur. Potentia verò, quia ut Deus quæcunque vult potest, pari ratione & consummatus Philosophus, quæ vult potest.*

Sicuti verò *Pselli* mens *Confutio* per omnia respondet; ita ab utroque ii notantur præcipuè; qui eo fine neutiquam philosophantur, ut alios perficiant, verum gloriam, honores & authoritatem acquirant, de quâ hominum stultitia audiamus *Bernhardum* Serm. XVI. super *Cantic. Sunt qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant; & turpis curiositas est. Sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant; ex turpis questus est. Et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est, sed sunt quoque qui scire volunt ut* ÆDIFICENT; *& charitas est. Et sunt qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est.* Atque hæc de Compendio Philosophiæ Sinico-Confutianæ dicta sunto.

Generalem hanc Philosophiæ SINICÆ declarationem *specialior* excipit, partium videl. enumeratio, explicatio. Ex infinitis verò *Philosophia* distinctionibus huc præcipuè

per-

pertinet *Marii Victorii* lib. 1. *Rhet. Cicer.* hisce verbis expressa: *Plena Philosophia est, quæ constat ex duabus,* PHYSICA & ETHICA. *Physica est quæ de Cœlestibus agit; Ethica quæ de humanis differit.* Quæ partium enumeratio non Sinicæ solùm Philosophiæ exactè convenit, verùm in explicato illo Confutii compendio egregiè exprimitur. Universam itaque Sinensium Philosophiam in ΦΥΣΙΚΗΝ & ΗΘΙΚΗΝ, *NATURALEM & MORALEM* dividamus, quarum illa *Rerum Naturalium Ortum*, Principia, Elementa, & derivata ex iisdem Symbola exhibet; hæc verò cujusvis *officia* exprimit atque declarat. Quum verò utraque hæc Philosophiæ facies *à Poëtis* quoq; ostendatur, exindeq; Poësis fermè tam latè pateat quam Philosophia; (sicuti enim hæc vel naturæ arcana tradit, vel vitæ præcepta suppeditat, ita illa fabulis utrumq; involvit;) hinc artem

Poëticam *à Sinarum* vetuſtiſſimis excultam, varioq; metro complexam fuiſſe ſcribit *Martinius* lib. III. p. 96. adeò, ut non ſolum *Phyſica*, de Plantarum florum aliarumque rerum naturis & differentiis, verſibus comprehendant; verum eodem philoſophandi genere, è rerum *Naturalium* congruentiâ, *MORUM* quoque venuſtatem deducant, ad declarandam ſuaviſſimam utriuſque partis harmoniam. Imò inter *quinque Carminum Libros*, è quibus doctrinam eorum qui dignitatem in Republ. ambiunt, periclitantur, unus in explicandis antiquorum Principum rectè ſecuſque factis ita verſatur, ut malis terrorem, bonis calcar ad virtutem addat. Quanti verò hæc ars à Sinis æſtimetur, ex eo patet, quod (perhibibente *Semed.* p. I. cap. II.) è nel tempo che v'erano molti Re feudatarii all' Imperatore, quando venivano à rendergli obedienza, il

che

che si faceva ogni tre anni; erano obligati di portare ciascheduno del suo Regno le sue poesie è rime, che allora in quello correvano acciochè da quelle si facesse giuditio de' loro costumi, che in vero pare, che molto rilucano in tali compositioni. Nasci verò inter SINAS Poëtas quam plurimos scribit *Antonius Possevinus lib.* IX. *Bibl. Select.* cap. 26. exindeque ingeniorum Sinicorum præstantiam cognoscendam esse, præsertim cum illorum carmina, non certo tantum pedum numero sicut Latina, sed quædam etiam sicut Italica sint necessitate rythmorum astricta. Nam (declarante *Semed. Rel. del Cina* p. l. c. 11.) Hanno molta varietà di versi, & usano consonanze, come li sonetti, Romanzi, canzoni, è madrigali d'Europa. La corrispondenza della rima la mettono ancora nel fine di tanti è tanti versi, come li nostri sonetti e otta-

re; nel che hà molta varietà. De compositione verò Carminum Sinicorum idem: Compongono parimente li versi per numero disillabe, le quali essi chiamano *parole*, perche essendo nella lor lingua tutte monosillabe, l'istesso è sillaba, che parola la quale consiste in una sola lettera, che similmente si pronuntia monosillaba. Laonde essendo tutte le lettere all' istessa maniera, la quantità del verso consiste nel numero di quelle: si che, come qui si compongono li versi di cinque; sette è undici sillabe, così ancora li Cinesi compongono li loro di cinque, sette e piu lettere solamente: dove fra Noi due nomi, ex alle volte uno, può havere tutte le sillabe di un verso: il che non può succedere alli Cinesi per esser tutti li nomi di una lettera monosillaba. & paulò post: In questa specie di Poësia li versi hanno da essere otto, ciascheduno di cin-

di cinque lettere, consonanza d' ogn', indue, iquesta forma: Il primo la puo havere, ò nò, come si vuole: il secondo pero ha da corrispondere con il quarto: il quin con sesto: il settimo con l'ottavo: il terzo, quinto è settimo non han consonanza, ma le lettere hanno da corrispondere tra loro, di modo che li versi che osservano consonanza insieme, han d' havere ancora le sue lettere corrispondenti, la prima con la prina, la seconda con la seconda, &c. E questa correspondenza non consiste in consonanza, ma nella significatione; onde se la prima lettera del secondo verso significa monte, acqua, fuoco, ò quel che si sia; la prima del quarto similmente ha da significare l'istesse cose, ilche si osserva nelle seconda, è nelle seguenti lettere di tutto il verso. Questo è un modo artificioso, mà difficile. *Poësin* aliàs *primam Philo-*

sophiam salutavit *Strabo*, & *Horatius* moralem pariter ac civilem vitam melius ab *Homero* quam *Crantore & Chrysippo comprehensam fuisse* affirmavit. Ipsosque *Poëtas* morum & vitæ Magistros, non *Pythagorici* modo, verum *Aristoxenes* quoque appellarunt. Nec minus ipse *Plato* II. de Rep. *Poëtas ultra vulgus ac gregem evectos, non hominum filios sed Deorum; Sapientiæ quoque Patres ac Duces in suo Lyside*; Deorum Interpretes in *Jone*; præclaraque poëmata, cœlestia munera in *Phædro suo* appellavit. Omnia hæc elogia potiori jure *Sinarum* Poësis sibi vendicat, quippe quæ vel hoc solo nomine propius quam Græcorum atque Romanorum ad *Philosophiam* ipsam accedit, quod non *fabularum tormentis* (ut illorum Poëtarum Genius tulit,) *sed evidentißimis præceptis* atque monitis hominum vitam & mores emendet.

Ex eo v. quod de *Dialecticâ* ipsaque

que

que docendi methodo nihil attigerunt *Sinæ*; nullo doctrinæ ordine; sed confusis ferè sententiis Philosophiæ suæ præcepta tradiderunt, quantum Duce illo quod à natura infundi solet Lumine assecuti sunt. Quanti alias Ordinem in rebus faciant, patet ex volum. *Sin de Mor.* sæpe alleg. adeò ut non solum juxta eundem *quædam antecedere quædam sequi debeant*, verum *illum hominem rationem à Naturâ præscriptam tenere pronuncient, qui eundem observare sciat.* In defectu a. methodi Sinicæ, nostram in posterum retinebimus. Quæ cum parti ΦΥΣΙΚΗ (utpote de rebus necessariis agenti,) doctrinæ prioritatem assignet, illaque haud obscurè à *Sinis* admittatur; primo loco *PHYSICÆ SINENSIS* evolutionem meditati sumus. Nec magni h. l. facimus, dissentientem à nobis *Diogenem Apolloniatam*, qui docente *Laërtio*, PhilosophiamMoralem

lem præmittendam esse duxit, eò quod *virtute* instructus, rectius judicium de *veritate* ferat, quem non tam nostris quam *Simplicii* & *Ammonii* verbi refutamus: Neutiquam sc. opus esse, ut quis omnium demonstrationes ante Philosophiam moralem addiscat, sed sufficere, si ex aureis *Pythagoræ versibus*, aut carmine *Theognidis* hauserit virtutis præcepta.

SECTIO IX.

De ortu & Principiis Rerum Naturalium opiniones Philosophorum *Europæorum. Sinicorum.* Chaos. Primus Rerum Author. ex mente *Japponensium.* variæ ejus appellationes. attributa. Philosophorum *Jappon. Sectæ.* Duæ qualitates seu Principia. quomodo in se ducantur. eorum ordo. Imagines an Elementa? Formæ. Symbola. *Notæ* Principiorum. Imaginum. Formarum. Symbolorum. *Elementa* quinque. quid per illa Sinæ intelligant. Qualitatum Elementarium derivatio. Numeri quinarii ratio. æstimatio. Philosophiæ *Europææ* inter Sinas enarratio. admiratio.

SIcuti verò Philosophorum fernè omnium Sententiæ de *ortu* & *Principiis Rerum Naturalium* differunt,

runt, ita *Sinenses* quoque hâc in re singulari studio quasi certare videntur. *Europæorum* opiniones nullibi exactius comprehenduntur, quam *Philosophi* lib. I. *φυσικῆς ἀκροάσ.* & *Clem. Rom. loco* (ex VIII. Recognit. fol. 83. edit. Paris.) à *G. J. Vossio.* lib. I. de Pibilos. c. v. hunc in modum restituto: *Pythagoras Elementa Principiorum numeros esse dicit; Callistratus qualitates; Alcmæon contrarietates; Anaximander immensitatem. Anaxagoras æqualitates partium; Epicurus Atomos; Diodorus* ἀμερῆ, *h. e. ex quibus partes non sunt; Asclepias* ὄγκους, *quod nos tumores vel elationes; Geometræ fines; Democritus ideas; Thales aquam; Parmenides Terram; Plato ignem, aquam, aërem, terram; Aristoteles etiam quintum Elementum, quod* ἀκατονόμαστον, *i. e. in compellabile nominat;* Has v. sententias si non omnes, certè præcipuas *Sinense* Lyceum exhibet. Rerum quidem omnium quoddam *ini-*

tium antiquissimos Sinenses statuisse, notat *Martinius* Hist. Sin. pag. 15 ast, in eodem explicando adeò dissentiunt, ut singulæ fermè *Europæorum* sectæ asseclas suos inter Sinas habeant. Quippe reperiuntur qui *Aristotelis*, *Abenrois*, *Procli*, aliorumque de *æterna mundi existentia* errorem (ab *Hannibale Rossele* Tom. 5. Comm. in *Poemandr. Merc. Trism.* quæst. 3. cap. 13. aliquot ratiunculis confirmatum,) defendunt, quem una cum Idolorum cultu in hanc Terram post Christ. nat. LXV. pervenisse perhibent. confer. Mendoz. lib. 11. c. 5. Alii *omnia temerè casuque extitisse* arbitrati, cum *Democrito* & Epicuræis Universi hujus machinam absq; Mente coaluisse statuunt. Nec desunt denique, qui saniorem Sinarum Philosophiam (quam primus ordo profitetur) secuti, *CHAOS* rerum omnium initium constituunt, è quo spiritale summum procreaverit

id,

id, quod materiâ constat. Non secus ac *Stoici* Deum tanquam aeternum ignem, è rudi materia terrae & aquae globum, aëra & Sidera, atque adeò totum Mundum elaborasse crediderunt; de quibus vid. *Voss. lib. II. de Sect. Phil.* c. XIX. Quo ipso cum Platonicis quoque conspirant, qui Deum summum Universi opificem agnoverunt; adeatur *Apul.* de Deo Socr. & *August.* lib. IX. de Civit. Dei cap. VIII. XI. De *primo autem Rerum Authore*, mirum nunc apud Sinenses est silentium. In Monumento quidem illo Sinico-Christiano, ab *Athanasio Kirchero* (Prodr. Copt. c. 3.) edito & illustrato, de eodem nonnulla reperiuntur; dicitur, illum qui semper verus & quietus, omnis expers principii, intellectus profundissimi fuerit, excellente potentia sua creasse res, infinitaque majestate sua & sanctitate fecisse sanctos, commovisse Chaos, fecisse duo KIS, mutas-

mutasse tenebras, condidisse Cælum & Terram, fecisse ut Sol & Luna motibus suis noctem & diem causarentur, res denique omnes atque singulas fabricasse. Plura de primi hominis creatione & integritate sequuntur, postea de lapsu, Idololatriæ & reliquorum errorum gentilium origine, Incarnatione Salvatoris & conditione Christi & Apostolorum, Religionis Christianæ excellentiâ, ejusdemque ad Sinas transportatione, aliaque plurima, quæ non obscurè subindicant, monumentum illud à recentiori quodam semi-Christiano pariter ac semi-Sinico Doctore fuisse adornatum. Paulo exactius Rerum principium determinant Japponenses, juxta quos illud (*IXIN* nuncupatum,) extitit ab omnia æternitate unum, clarum, & lucidum, omni quoque decremento vel incremento destitutum; figura carens; ratiocinatio-

nis

nis expers, vitam agens otii quietis & tranquillitatis plenissimam. Hoc Rerum Principium quidam eximium appellant, ac verum *FOTOQUE*; Alii vocant *Cor*; alii primam *Rationem*, vel purissimam Essentiam: alii esse dicunt gradum *claritatis*, alii *DAINICHI CAQUUO*, seu magnum *Solem*, & Regem intelligentem: alii *veritatem Cœlestem* unicè claram & perspicuam: alii veram *substantiæ* & *accidentium* imaginem: alii sempiternum *AMIDA*: alii *IPPOQUQUO*, quod verbum subitò productum denotat: alii veram absque dignitate personam: alii perexiguam Sermonis mutationem in loquendo factam; alii denique Titulis & encomiis aliis exprimunt. Quæ verò porrò de hoc Rerum principio à *Bonziis Japponicis* traduntur, ad IV. potissimum capita referri possunt. *Primò* constituunt illud ex omni parte perfectum, sapientia præditum, sed

(quod

(quod planè ridiculum,) *nihil intelligens*, nihil terrena curans. *Deinde* credunt illud ſingulis rebus ineſſe, ipſiſque ſubſtantiam ſuam communicare, ita ut res univerſæ cum illo idem ſint, inque illud cuncta revertantur. *Tertiò* fingunt intimum hominis cor unam & eandem cum principio hoc conſtituere eſſentiam. *Quartò* denique ſibi perſuadent, poſſe hominem in hoc ſeculo ſummum primi principii gradum & locum adipiſci, & ad ampliſſimam illius majeſtatem & dignitatem adſcendere; eò quod poſſit in hâc vitâ meditando & perfectè cognoſcendo principium verum, ad ſummam illam vitæ tranquillitatem pervenire. Sunt quoque inter ipſos *Japponios* quidam, qui prorſus nullum hujus univerſi principium admittunt. *Scito*, (inquit *Bonzius Japponicus* apud Turſeb lib. IV. c. 13. de Vita Xaverii,) *nullum mundi humanique generis prin-*

principium fuisse, nullum item extremum fore. Tanta autem sententiarum de Rerum productione discrepantia originem suam non aliunde quam ex diversissimis Sectarum Japponicarum institutis traxit. Illarum verò Xaverius novem facit. In Epistolis Indicis p. 68. plures quam undecim esse dicuntur: Caronius duodecim Sectas esse affirmat: sed quibus in rebus inter se discrepent, quæque ipsorum opiniones sint, non annotatur. Easdem v. breviter hac occasione recensebimus: I. *Xingovini* Bonzii sunt qui divum *Denichum* colunt; II. *Jenxuani*, qui *Foben*; III. *Foquexani* qui *Mion*; IV. *Jondaxuenses*, qui Amidam; V. Xintani qui Quoquium. Principales autem Sectæ sunt illæ duæ quarum asseclæ colunt præcipuè vel Amidam, vel VI. XACAM. VII. *Baracacque* Sectæ cultores meditationibus quibusdam arbitratu suo confictis vacant.

VIII. Po-

VIII. Ponitur à Xaverio quædam *Tendavi*; sed qualis sit non adjicitur. IX. *Icoxuana*; quæ ad beatitudinem nihil aliud requiri affirmat præter unius *Amidæ* nomen. Eandem *Vilela* p. 93 ita describit: *Secta ICOXOS magna apud plebem auctoritate, cui Bonzius semper cum imperio præsidet, stupris flagitiisque palam turpiter deditus, quem plebs nihilominus tanta pietate ac veneratione prosequitur, ut si eum modo aspexerit, vim lachrymarum profundat, solvique se admissis noxis ab eo suppliciter petat &c.* X. Decima secta maximæ est dignitatis & eruditionis, cujus sacerdotes non tantum uxores ducunt; sed etiam animalium tam terrestrium quam aquatilium carne sine religione vescuntur, appellaturq; hæc disciplina ICKO vel ICKOIS; Reliquæ v. Sectæ non solum cibum ab animalibus desumtum, verum etiam omnem cum mulieribus conversationem prohibent. XI. Undecima

cima Bonziorum familia *à Faxequu* nomen duxit, vitamque severiorem reliquis omnibus profitetur. XII. Aliud Monachorum genus describit *Xaverius*, videl. eorum qui legi *Oxi* dicantur, & ejusdem generis fœminarum quas *Hamacutas* nominant. XIII. *Jamanbuxæ* (aliàs milites convallium appellati,) illi sunt qui Dæmonem etiam colunt, eodemque familiarissimè utuntur. XIV. *Fotoquorum* denique hæresis est eorum, qui scriptis atque Libris omnibus fidem denegant, ni à Sectæ hujus conditoribus conscripti fuerint.

Sed ad *Sinenses*, qui illud quod de diximus *CHAOS* in productione rerum in duas qualitates divisum fuisse docent, *YN* & *YANG*, *Occultum*, quod *imperfectum* etiam; & *Patens*, quod *perfectum* nuncupant. Alio nomine principia hæc in monumento illo Christiano-Sinico (cujus paulo antea mentio facta) expri-

primuntur, videl. vocabulo *KIS*, per quod duas illas qualitates dictas *INYAM* (seu *YN* & *YANG*) glossa interliniaris intelligit. Ex his autem in se ductis, imagines sive *signa quatuor*, inde *Octo formas* prodiisse, quibus iterum multiplicatis, quatuor & sexaginta *Symbola* constituta fuisse perhibent. Totam itaque rem non tam in ipsâ rei veritate fundatam, quam ex *Arithmetica* derivatam, & multiplicationis beneficio stabilitam deprehendimus. Ut autem *Sinarum* mens eò magis innotescat, ordinē illum hoc schemate expressimus:

2. Principia *YN* & *YANG*.
2
4 Signa seu Imagines.
2
8 Formæ
8
64 Symbola

Ex duo-

Ex duobus itaque illis *Principiis* per binarium multiplicatis, *formæ* quatuor eliciuntur, hisque iterum per *YN* & *YANG* in se ductis *figuræ octo* proveniunt, ex istis demum amœna rerum omnium varietas è *Sinarum* mente derivata est. Jam quid per unum quodque horum intelligatur porrò explicandum erit. Per *Imagines* quidem quatuor *Elementa* & principes qualitates notari putat *Martinius*, Hist. Sin. Lib. 1. pag. 5. nescio tamen an hoc cum reliquis Philosophorum *Sinicorum* placitis stare possit, ipse (pag. 9.) eosdem non solum *Quinarium Elementorum* numerum statuere, verum neglectis qualitatibus primis, *Secundarias* quasdam, & saporis differentias, ex eorum combinatione elicere scribit. Imò Terra, Ignis & Aqua in *Formarum* classe reperiuntur. Quid verò reverà per quaternarium hunc Imaginum seu signorum numerum

Sinen-

Sinenses intelligant, patebit fortè, si attendatur, eosdem quodlibet horum principiorum, patens pariter ac occultum, in *Perfectum* & *Imperfectum* subdividisse, ita ut *patens* ipsis aliud sit *Perfectum*, aliud *Imperfectum*; occultum quoddam perfectum, quoddam Imperfectum. Ubi nonnemo regerere posset, patens tanquam perfectum ineptè subdividi in imperfectu m& perfectum; & occultum tanquam imperfectum, in perfectum & imperfectum: quod tamen excusari poterit, si in divisione illa perfectio & imperfectio non *Simpliciter*, sed ἐν λόγῳ συγκρίσεως seu *comparativè* intelligatur, scilicet, patentis & occulti nomine nil nisi omnia quæcunque in Orbe reperiuntur intelligunt, cum illorum quædam sint patentia, quædam occulta; *Patentia* verò respectu occultorum nostræque apprehensionis utique perfectiora videntur; In se

tamen

tamen tam inter *patentia* quàm *occulta*, quædam perfecta, quædam imperfecta inveniuntur. De *Octo Formis* ſumus certiores, per illas vid. quaſdam generales eſſentias, è quibus omnium ſingularium generatio atque corruptio pendeat, ſignificari, utpote *Cœlum*, *Terram*, (quam quadratam alias fingunt) *Fulmina*, *Montes*, *Ignem*, *Nubes*, *Aquas & Ventum*. quæ omnia *Formarum* nomen non propterea acceperunt, quod materia deſtituantur, ſed abſque dubio quod è *quatuor Imaginibus* à Spiritali Summo *formata* fuerint. Per *quatuor* denique & *Sexaginta Symbola* nil niſi in Orbe reſidua, animata & inanimata, ipſamque amœnam rerum omnium varietatem intelligendam eſſe judicamus. Sed ad intricatam horum omnium adumbrationem properamus. Ubi ante omnia *multiplicatione* illâ ex Arithmeticâ petitâ, nil niſi admirandam rerum mix-

 tio-

tionem, & unius ex altero deductionem designatam fuisse putamus. Ut porrò innotescat quantum quodlibet de *principiis* illis participet, peculiari modo singula exprimunt. *Occultum* quidem *perfectum* duplicatis duabus lineis h. m. ⚏; *Imperfectum* verò unica & quidem divisa ⚋ Contra *patens perfectum* Linea unicâ continua ⚊ *Imperfectum* duplici & parallela ⚌. Quamlibet porrò Formam schemate pingunt peculiari, Cœlum ☰, Terrã ☷, Fulmina ☳, Montes ☶, Ignẽ ☲, Nubes ☵, Aquas ☱, Ventum ☴. *Quatuor* denique & *Sexaginta Symbola* iisdem ferè linearum differentiis distinguuntur, ita tamen ut cuilibet Symbolo sex lineolæ, partim integræ partim divisæ, situ variato attribuantur. Nihil autem aliud *Sinenses*, (quantum ego quidem conjicio,) per *notas* illas indicare voluerunt, quam

quan-

quantum quælibet *forma* & quodlibet *Symbolum* de duobus *Principiis YN* & *YANG* participet, e.g. cum *Cœlum* omni imperfectione careat, hinc *tribus lineolis integris* perfectionem designantibus, notatur. De reliquis idem forte judicium fieri poterit, ſcilicet unum quodque, pro diverſa principiorum mixtura, lineolis vel integris vel diviſis expreſſum fuiſſe.

Doctrinam de *Principiis* excipit ΣΚΕΨΙΣ *Elementorum*. Horum autem *Quinque* Sinenſes præeunte *Sujo* quodam ſtatuunt; *Metallum*, *Lignum*, *Aquam*, *Terram & Ignem*. Quam ſententiam aliquanto fuſius explicatam è Sinico quodam Libro *XU-KING* producit *M. Martinius*, lib. 1. Hiſt. Sin. p. 9. his verbis: *Quinque ſunt Elementa: Aqua, Ignis, Lignum, Metallum, & Terra. Aqua irrigat & deſcendit, Ignis ſiccat & adſcendit; Lignum erectum & diſtortum vocatur, Metallum ductile, levitatiſque patiens, Terra*

Semina capit affertque fructus. Irrigans & descendens dat salsum, siccum & adscendens dat amarum, rectum & distortum facit acidum, ductile & politura idoneum mordax facit sive acre; accipiens Semina & dans fructus dulce gignit. Hunc discursum facilioris apprehensionis causâ h.m. exhibemus.

Aqua irrigat & descendit	hinc	salsum,
Ignis siccat & adscendit	hinc	amarum,
Lignum est rectũ vel distortum	hinc	acidum,
Metallum ductile & politura idoneum	hinc	acre,
Terra Semina capit & affert fructus.	hinc	dulce.

Ut verò breviter quid *Elementi* nomine SINÆ intelligant, nec non quomodo dictas qualitates eliciant cognoscatur, duplex *Elementorum*, acce-

acceptio notanda venit; Illa enim vel ut *Principia Mixtorum*, vel ut *partes Mundi* considerantur. Prior respectus cum à *Sinensibus* (Principia alia *YN* & *YANG* substituentibus) planè negligatur, nec de Elementorum συζυγίᾳ, nec quatuor primis exin deductis qualitatibus quicquam tradidêre. Et cum *posterior* acceptio fuerit ab iisdē retenta; Mundi adornata divisione *quinarium* quoque *Elementorum* numerum produxêre, proin nec pro *principiis* corporum *constitutivis* eadem habere possunt, vel ut tribus verbis clarissimè Sinarum mentem explicem; pro *primis* quidem *corporibus*, non verò *primorum corporum principiis* Elementi vocabulum accipiunt. *Qualitates* porrò illæ non è combinatione variâ derivatæ, verum à cujusvis proprietate desumtæ, & juxta *quinque Saporis differentias* constitutæ sunt. Et rectius fortasse *Lignum* cum *Metallo*

inter *quatuor* & *ſexaginta illa Symbola* (ſi talia eſſent) locum obtinuiſſent. Sique ingenuè quod res eſſet fatendum, dicerem, *quinario* hoc *Elementorum* numero Sinenſes neutiquam id quod nos *quaternario* indigetare. Quæ ſuſpicio nobis aucta ex eo eſt, quod *Ignis Terra* & *Aqua* inter *Octo formas* reperiantur, quæ non pro *primis*, verum ex *imaginibus deductis* eſſentiis habentur, ſicuti antea diximus. Prætereà, cum corporum Cœleſtium multiplicem in hæc inferiora influxum Sinæ animadverterint, eadem Elementa *Planetis* quoque applicarunt, *Saturno* quidem Terram, *Jovi* Lignum, Ignem *Marti*; Aquam *Mercurio*, *Veneri* Metallum. Non tamen hæc *Planetarum* nomina inter Sinas uſurpantur, cum ſtellæ illæ ad hæc uſque tempora iiſdem quibus Elementa nominibus explicentur. Ita *Saturnum* Terræ Stellam ſalutant, *Jovem* Ligni, *Mar-*

tem

tem Ignis, Metalli *Venerem*, & Aquæ *Mercurium*, quæ omnia certè confirmant, *Sinas* Elementorum nomine longè aliud quid intelligere. Etsi verò error ille nullo fundamento in Sinarum Scholas irrepserit, tanto tamen applausu receptus & approbatus est, ut hâc de re dubitare, ne dicam disceptare religio sit. Aliquid peculiare in doctrinâ hâc *Sinis* attribuit *Trigautius*, *lib.* IV. *Expedit. Sin. pag.* 397. eosdem videl. *Unius Elementi ex altero productionem statuere*, de quo tamen non immerito dubitamus, cum Terram, Ignem, & Aquam (utpote *formas*) simul ex *Imaginibus* provenisse Sinarum Philosophia doceat. Quâ forte non rectè perceptâ, laudatus *Trigautius* sibi persuasit, Sinas Elementi unius ex altero productionem credere, quod tamen suo loco relinquimus. Antiquitatis autem Majestatem neutiquam reformidans

P. *Matthæus Riccius*, in Imperio Sinico *Quatuor Elementa* è totidem qualitatibus contrariis orta, passim pronunciavit, commentarioque Sinicâ Linguâ exarato confirmavit, qui non tantum avidè à *Sinis* exceptus, verùm etiam sæpè recusus est. Libro hoc invitati alii, privatam *Riccii* informationem ambiêre, tantoque majori stupore *Philosophiæ Europææ* capita percepêre, quanto intensiori studio hactenus sese sensuali duntaxat notitiæ manciparunt. Audiverunt demum Terram esse rotundam, cum pro primo principio vetus illud axioma habuerint; *Cœlum rotundum terram quadratam esse.* Ignorabant ad eius medium seu centrum omnia gravia inclinare. Inauditum fuit *Solem* universam Terræ molem magnitudine toties superare. Nondum apprehensum, ne per somnum quidem, è materiâ solidâ Cœlos constare, & Antipodes homines

mines hominibus sine lapsu consistere. Persuadère sibi neutiquam potuerunt Igne *Cometas* ardere, ardendoque consumi, cum in stellarum numero inveniantur. Paradoxum, *Lunæ* defectionem, positâ inter Solem ac Lunam Terrâ provenire, quâ in re, ut infra audiemus, gravius ipsa Luna deficiebant. *Sidera* ipsa, quæ visus hactenus tam exiguo spatio comprehendit, universam Terræ superficiem excedere, ab omni fide alienum videbatur. Dierum ac Noctium extra æquatorem inæqualitatem nondum agnoscebant. *Dialecticam* quoque Linguâ Sinicâ editam, unà cum Arithmeticâ, Astronomiâ & Geometria nostra brevi spatio demum apprehendebant. Nec dubium est *Sinas* etiam confirmatos fuisse in iis, quæ ductu rationis absque enormi errore apprehenderunt, præprimis verò egregiis *Mentii* de *Natura* dogmati-

bus. Ille enim libro pecul. *de efficentiâ* atque in bonum propensione differens, ajebat, *Naturæ tàm esse proprium efficere bonum, quam aquæ descendere; Malum autem efficere non esse secundum Naturam, nec ab hâc velut à causâ illud procedere, nisi invitâ & repugnante sibimet ipsi; quemadmodum aqua contra suam indolem, nec nisi vi propulsa in altum nitatur.*

Sectio X,

Alia de ortu Rerum opinio Sinica. Chaos *Ovum*. Vetustissima sententia *Phœnicum*. *Ægyptiorum*. *Zoroastris*. Reliqua Philosophorum Sinicorum de Origine Rerum placita. Primi Hominis productio. è deserto. è Chao tanquam ex *Ovo*. Quantum ad *Mosaicam* veritatem accedant Sinæ. Hominum *primorum* mores. Barbaries. Hujus universi *Gubernatores* contrarii. *Dæmonis* cultus. *Spirituum* officia. responsa è statuis edita. familiarium apud Sinas usus.

PEculiaris porrò *SINENSIUM* de *Ortu Rerum Naturalium* opinio notanda venit. Hæc *CHAOS* (è quo omnia producta fuerint,) *Ovum* nuncupat, cujus testa seu cortex in

Cœlum,

Cœlum, albumen *in aërem*, vitellum in *Terram* abierit, idque mediâ nocte, sub illud tempus quo astra Cœlum exornantia, Solstitiali brumalique revocatione vertuntur. Primo loco perfectos esse *Cælos*, stabilitam deinde *Terram*, tum *Spiritus*, postremò *homines* extitisse. confer. Mart. lib. 1. Hist. Sin. p. 3. 4. Cum Sinis verò *Cochinchinenses* etiam Mundum credunt *Ovum* quoddam fuisse, cujus cortice firmamentum, albumine æthereum spatium, vitello demum terra constiterit, uti patet ex Epistolâ *Christoph. Burri* de Cochinchinens. Italicè Scriptâ, & *Ath. Kirch.* Tom. 1. Oed. Ægypt. Syntagm. v. cap. 111. Per *Ovum* verò nec hos nec *Sinas* solùm, verum quamplurimas quoque Gentes Mundum intellexisse, veterum monumenta testantur. Hinc ovalem figuram eidem tribuit *Sanchuniathon*, vetustissimus Rerum *Phœniciarum* scriptor;

& in Phœnicia ipsa *Ovum* Mundi *Symbolum*, in Orgiis Liberi Patris ab *Orpheo* institutis, dictum fuisse docet *Plutarchus* Sympos. lib. II. quæst. 3. *Macrob.* Saturnalium lib. VII. cap. 16. Et juxta *Eusebium Phœnices* statuebant è complexu rerum qui cupido erat, limum extitisse, sive aquosæ mixturæ putredinem, è qua creaturarum semina; tum animalia bruta, rationeque prædita in figuram *OVI* conformata provenerint. *Thebaidos* Incolæ, Deum Mundi Opificem repræsentare volentes, ore *Ovum* effundentem pinxerunt, ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ᾠὸν τὸν κόσμον. *Ovum autem interpretabantur Mundum.* Creatorem quoque Cœli & Terræ *KNEPH* dictum, (in formâ hominis,) zonam cum sceptro tenentem, & ab ore *OVUM* producentem pinxerunt *Ægyptii*, hocque partim propter *figuram* partim propter *Naturam*, conf. *Macrob.* Lib. VII. c. 17.

Eadem

Eadem etiam Mundi & *Ovi* quoad partes singulas à *Sinis* instituta, pauloque ante declarata comparatio, reperitur apud *Varronem* in *Logistor.* (qui Tubero sive de Orig. Hum. apud Prob. Ecl. VI. inscribitur) his verbis: Cœlum est testa, item vitellum Terra, inter illa duo humor, in quo calor. Exindè *Proclus* quoque in *Tim.* pro iisdem habet τὸ Ὀρφικὸν ὠὸν, καὶ τὸ πλάτωνος ὄν. *Orphei OVUM, & Platonis quod est.* Zoroaster insuper, (refer. *Plutarcho* de Isid. & Osir.) *Oromasden* Boni omnis authorem, factos à se Deos & Stellas *Ovo* inclusisse perhibuit; *Arimanium* verò Ovum illud perforasse, sicque bona malis, & mala bonis miscuisse, ex quo perpetuæ inter illos inimicitiæ, non nisi fato quodam finiendæ, provenerint. vid. præter laud. Plutarch. *G. J. Voß.*, lib. I. Theol. Gent. c. v. *Jo. Henr. Ursinum*, Analect. Sacr. lib. v. n. 3. & 4.

Jo. Bis-

Jo. Bisselium, Illustrium Ruin. Decad. I. Ruin. Zoroastri n. IV. & quæ à nobis alibi jam exhibita sunt. Collationem aliam Mundi & Ovi annotavit *Alex. Aphrod.* in problem. scil. Orbis hujus universi speciem in *Ovo* demonstrari: cum ex quatuor constet Elementis, & in Sphæram conglobetur, & vitalem in se potentiam contineat. Exinde *Marcellus Vergelius* Ova religioni inserta, & in tanto honore cunctis Gentibus fuisse observat, quod capiente Mundo tot animalium Naturas & genera nullum ferè sit, in quo non ex ovo species aliqua nascatur. *Ovum* verò Orphicum ex eâdem opinione ortum, (annotante *Plutarcho*) in duas partes dissiluisse finxerunt, quarum altera quæ sursum vergebat Cœlum, altera inferior Terra evaserit. Nec ineptè adeò nonnulli observant metaphoram in loco *Gen.* I. 2. desumptam ab avibus, incubatu suo *OVA* ani-

animantibus, cum ibid. Spiritus Dei ſuperficiei aquarum incubaſſe dicatur. Quam explicationem ipſi *Talmudiſtæ* ſuppeditant *Chagig.* c. 2, כיונה מרחפת עלבניה ואינה נוגעת *inſtar columbæ quæ incubat pullis ſuis, neque tangit, vel tangendo eos lædit.* Nec à ſignificatione hâc *Syri* recedunt; Hinc *Baſil. Hom.* 11. p. 8. ex mente Syri cujuſdam (*Ephremum* intelligit *Cl. Hottingerus*, Hiſt. Creat. cap. 1. quæſt. 32.) inquit: *Syriacam vocem aliquid ſignificantius ſonare, & ſenſum verbi hujus eſſe* ἐπεφέρετο *ferebatur, pro* συνέθαλπε *fovit, vivificam naturam aquarum reddidit, in modum avis incubantis, & vivificam quandam virtutem immittentis.* Nec denique *Arabica* verſio calculum ſuum denegat, talem vocem adhibendo, quæ teſte *Kamuſio* propriè Gallinæ competit, quæ incubat ovis, & alas ſuas extendit.

Sed & reliquarum Sectarum Sinica-

nicarum de *Rerum Naturalium* tum *productione*, tum *conservatione* & gubernatione ſententias annectamus, quæ cum à paucis arripiantur, explicatione prolixiori opus non habent. *Prior* itaque Mundum univerſum ex *Aqua* initio conditum affirmat; quæ vehementius agitata, è ſpumis ampulliſque *Cælo*; ex imis verò partibus iiſque craſſioribus *Terræ* materiam præbuerit. *Jarricus* Tom.II. p.664.) refert, *Sinas*, ſi interrogentur quiſnam initio aquas agitarit? reſpondere: *Sponte ciendi vim iis inditam fuiſſe.* Rurſus ſi quæratur: à quo eam ipſam vim & virtutem acceperint? ſubridere, quaſi planè ibi ſubſiſtendum, neque ulterius procedendum ſit. *Altera* verò, quæ hoc Univerſum ex unâ ſubſtantiâ productum hodienum ſtatuit, Idololatrarum Sectæ originem debet, aſſeritque Mundum, illiuſque Conditorem, unà cùm Cœlo ac Ter-

Terrâ, Hominibus ac Brutis, Arboribus & Plantis *Corpus Unicum* illudque continuum conflare, cujus Magni corporis, ſingulæ res ſingula membra ſint, è cujus ſubſtantiæ unitate docent, quo amore inter ſe ſingula uniri deceat, & quemlibet ad Dei ſimilitudinem venire poſſe, quia cum eodem *unum idemque corpus* conſtituat. Dogma hoc cum Sinenſibus nonnullis commune habent *Cochinchinenſes*, utpote qui (ref. *Chriſtoph. Burro* Epiſtol. de iiſdem Ital. ſcriptâ) *Mundum* nihil aliud eſſe dicunt, niſi magnum quendam hominem ſeu Gigantem, cujus caput Cælum; oculos aſtra; pilos arbores, planta, herbas; oſſa metalla eſſe, profitentur. vid. etiam *Ath. Kirch.* Tom. I. Oed. Ægypt. Synt. v. c. 3.

Hiſce de Mundi origine ſententiis, non incongruè ſtatim annectitur PRIMI HOMINIS è *Sinarum* mente productio, ubi nec

ipsi invicem consentiunt. *PUONCUUM* quidem nominant unanimiter, qui juxta nonnullos è deserto quodam prodierit, nataliumque ignorantiam ultro fassus fuerit. conf. *Martin.* lib. I. Hist. Sin. p. 4. Plerique tamen eundem è *Chao* tanquam *Ovo* natum perhibent, cujus erroris vestigia etiam in reliquorum Gentilium monumentis occurrunt. Ipse *Aristoteles* III. de Gener. Animal. c. II. de hominum quadrupedumque origine sollicitus, ait, illos vel ex *Ovo*, vel ex verme primò genitos fuisse, si quod initium generationis habuerint. Primum insuper Hominem dictum fuisse *OUM*, eò quod ex ovo prodierit, atque filium *OEN*, Astronomiæ & Literaturæ inventorem genuerit, ex *Hellad. Chrestom.* patet, hinc adagium: ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν, *Ex ovo prodiit*, de magnoperè formosis usurpatum, vid. *Erasm. Adag. Chiliad.* I. *Cent.* III *n.* 100.

Poë-

Poëtæ denique fingunt, *Ledam Tyndari* filiam ex Jovis concubitu duo peperisse *OVA*, è quorum altero prodierint gemini *Castor & Pollux*, insignis formæ Juvenes, ex altero natam esse *Helenam* cujus forma literis dudum est nobilitata. Aliam fabulam refert *Nigidius*, in Comm. ad Arat. Phœnom. nimirum pisces in Euphrate *OVUM* miræ magnitudinis inventum in terram evolvisse; columbam autem ex eo, incubatione animato, *Venerem* Syriæ Deam exclusisse.

Ad veritatem verò *Mosaïcam* propius Sinenses accederent, si primi hominis ortum talem statuerent qualem ex eorum mente enarrat Mendoza lib. 11. cap. 5. hoc sensu: *TAYN* creavit Hominem ex nihilo, dictum Panson, & fœminam Pansone. Panson creatus per concessam sibi à *TAYN* potentiam, alium ex nihilo creavit hominem,

nem, dictum Tanhom cum XII. fratribus. *Tayn* insuper formavit *Lositzam*, qui è duobus cornibus suavissimum odorem emittens, utriusque sexus homines maximâ copia produxit, primogenitum habuit *Asalon*, qui ultra nongentos annos vixit. Postea ortus est *Atsion*, ita appellatus à leonino capite in æthere à matre gravida conspecto. Repleto undique Terrarum Orbe, *Usao* quidam ædificiorum structuram agrestes homines docuit, postea *HUNTZUI* ignis pariter ac aliarum rerum necessariarum inventor extitit. Tum fœmina quædam *Hautsibon* peperit *Ochieutei* Conjugii Musicæque authorem; qui genuit *Etzolom* Medicinæ & Astrologiæ cultorem, patremque Fohii primi Imperatoris Sinici. Aliam Sinarum traditionem annotavit *Jarricus* Tom III. Thes. Rer. Indic. p. 664. Primos sc. Homines *è terrâ* extitisse, ac sine Legibus aut

ullo

ullo jure vagos ac feros, arborum baccis & crudis carnibus initio vesci & sanguinem bibere solitos, dein Ratione duce ac Magistra frugibus ali, tecta moliri, urbes condere didicisse, adhibitoque studio paulatim à barbarâ & agresti vitâ, ad cultum & mansuetudinem traductos fuisse. Ejusdem farinæ fabellam *Indicam* de ortu *Adami* habet *CL. Ursinus*, Anal. S. lib. IV. c. III.

Præter *Universi* autem hujus Authorem Creatorem, omnisque boni Principium, *Sinenses* (ex Idololatrarum scil. sectâ) aliud quoddam, *maleficii* omnis scaturiginem venerari, narrant Rerum Sinicarum scriptores, vid. Part. III. Indiæ Orient. c. XXX. & *Is. Pontani* Hist. Amstelod. lib. II. c. 24. Neque id tam impetrandi cujuspiam boni gratia, quam depellendi mali causa fieri scribit *Mendoza* lib. II. c. 2. & *Jarricus* Tom. II. Rer. Indic. cap. XX.

Idem

Idem confirmat *Jo. Hugo Linſchotanus*, Navig. cap. 23. Diabolum (inquit,) adorant tantum *ne noceat*; proinde morienti figura Diaboli ante oculos ſtatuitur, dextra pugionem, ſiniſtra Solem tenentis. In Templis etiam Illorum, qui Sectæ idololatricæ addicti ſunt, infinita cacodæmonum ſimulachra editiore quodam, ſed obſcuro tamen & tenebricoſo loco conſtituta reperiuntur. Quorum unum, (horrendo admodum aſpectu caput triplici corona, cum exertis vaſtiſque cornibus cinctum habens, faciem ac vultum terribilem & formidoloſum in ventre oſtentans, manuumqqe loco ungues exerens,) exibemus.

Ad



Ad Idolum hoc flexis genibus infaciem miseri provolvuntur, & capite terram aliquoties feriunt, quo facto quicquid allatum est fructuum aliorumque eduliorum supra aram eidem offerunt ejusque pedibus subjiciunt. Idem fermè de *Jamambuxis* (Secta quadam Iapponensi) tradit *Vilela* pag. 47. h. m: Sunt etiam qui dæmonem colant eoque familiarissimè utantur, *Jamambuxas* h. e. milites convallium appellant. Atque hæc antiquissimorum (juxta *Plutarchum* lib. de Isid. & Osir.) inter Gentiles Legislatorum ac Sacerdotum, & ab illis in Philosophos veteres derivata fuit sententia. Cum enim lethifer Orci Tyrannus, depositum illud Sacrosancti dogmatis de quodam omnis boni Fonte radicitus extirpare non valuisset, novo saltem, eoque contrario paris vel supparis potestatis superaddito principio, Cælestis doctrinæ vividam purita-

puritatem corrumpere aggressus est, eò laborans; ut quemadmodum *Numen Superum* coleretur, quo bona conferret, itane inferret mala, ipse eorum honoraretur origo. *Ægyptiis* duo in honore rerum Mundanarum principia fuisse, omnis boni & generationis unum, alterum omnis mali & corruptionis *Plutarchus* d. l. prolixè demonstrat. Eodem errore *Zoroastrem* cum Persis deceptum, paulò ante notavimus. Imò præcipuum religionis *Magorum Persicorum* fundamentum opinioni huic superstructum fuit, hinc *Lucem* Deum primum, æternumque rerum omnium principium statuerunt: *Tenebras* autem Deum creatum, tenebris ortum, cui nomen *Ahraman*. Non tamen invicem convenerunt, quin potius in partes abierunt, alii enim principia ista *coæva*, alii alterum *altero posterius* finxerunt. Porrò omnes eorum Disputationes (teste

Schareſtanio) circa duo potiſſimum fundamenta verſantur, quorum primum eſt *declaratio cauſæ miſtionis lucis & tenebrarum*; alterum *explicatio liberationis Lucis à tenebris*; Ita *Perſæ* duos rerum authores uſque ad *Zoroaſtris* tempora crediderunt; ille tamen Deum utriſq; antiquiorem eorumque conditorem eſſe docuit, unum eum eſſe nec ſocium habere, *bonum* autem & *malum* è commixtura *Lucis* & *tenebrarum contigiſſe*, quæ niſi miſta fuiſſent, Mundum nequaquam extare potuiſſe. Quæ Magorum dogmata cum *Chriſtianis* miſcuit inſanus ille *Manes*, duorum principiorum aſſertor, qui aſſumpto ſibi Meſſiæ nomine, electiſque duodecim diſcipulis, blaſphemias has (teſte *Gregorio Abulfarajio*, edito, & commentar. eruditiſſ. illuſtrato *à Cl. Pocokio,*) per totum Orientem, *Indiam* uſque & *SINAM* propagavit. Atque hâc occaſione errorem illum ad ex-

tremæ

tremæ *Asiæ* terminum perveniſſe probabile eſt. Nec minus *Pythagoram* olim, *Platonem*, *Germanos*, *Calecutenſes*, alioſque, propinatum hoc à Majoribus venenum hauſiſſe, alibi oſtendimus. *Japonios* etiam *Sinarum* vicinos, nec non *Tapujanos* eodem in luto hactenus hæſiſſe, probat *G.J.Voßius* Additam. ad lib. 1. Theol. Gent. p. 2. ſeqq. Hos ſcil. duplex agnoſcere Numen, *Bonum*, *Malumque*: Sed Bonum quia ſponte benefaciat, neminemque affligat, non adorari; *Malum* contra, quia iracundum ſit, & cultum ſui negligentes malè perdat, invocari. De *Braſilienſ.* eandem ſententiam admittentibus vid. *Lerium*, Hiſt. Navig. in *Braſil.* cap. XVI. Ritus verò atque ceremonias in Diabolico illo cultu ab *Indis* obſervatas deſcribit *Ludovicus Barthema*, lib. II. dell' India, c. 2. adde *Kirch.* Oed. Ægypt. Tom. I. Syntagm. V. c. IV. Magnoperè au-

tem Diabolus (præsertim apud Japones, perhibente *Vilelâ*,) satagit, quo brutorum animantium specie vulgo adoretur, atque ut boves colant, hominem occupat: per contantibus nomen, respondet, se Regem esse boum: rogatus ut abeat, negat se ex homine discessurum, nisi Templum sibi exædificaturos esse recipiant. Si pollicentur, abscedit. Si promissa non fecerint, rursus revertitur, oppressumque hominem variis cruciatibus torquet, quo usque Fanum ædificent, in quo varias belluarum figuras pro Numine venerantur, capitali etiam alicubi proposita pœna, si quis bovem occiderit. Ejusmodi v. fanum, inferorum Regi dicatum, describit *Frojus*, cujus præcelsum horrifico truculentoque aspectu simulacrum, Regio sceptro insignitum, duobus hinc inde ingentis staturæ Dæmonibus cingitur, quorum alter hominum describit

ſcribit noxas, alter deſcriptas in Tabula recitat: Parietes picti varias inferorum oſtentant pœnas, quibus plurimi ſexus utriuſque mortales, dæmonum miniſterio cruciantur. Horrenda autem hæc plurimarum Gentium Dæmonolatria, non aliunde originem traxit, quamquod miſeri Divinæ Majeſt. in Dæmones imperium ignorent, hiſque æqualem cum Diis poteſtatem attribuant atque concedant. Sed ad Sinenſes Idololatras, qui Univerſi hujus cauſæ, omniſque Boni principio (quod etiam Cœlum appellant, eâque de cauſa prima alphabeti literâ notant,) duos etiam Gubernatores atque Moderatores adjungunt, quorum alter *Laoconzautei* dictus ab æterno extiterit, Rerumque Cœleſtium curam ſuſceperit; alter verò *Canſai* appellatus, Orbis Imperium acceperit. Huic verò tres alios Spiritus ſubeſſe fingunt, qui in re-

gimine ipſum adjuvent, quorum nomina ſunt *Tanquam*, *Teiquam*, & *Tzuiquam*. *Tanquam* pluviæ curam gerit, & aliarum rerum terreſtrium. *Teiquam* ille eſt per quem homines naſcuntur, qui bellorum ſeminum, & frugum res curat; *Tzuiquam* Marino Regimini præeſt, rebuſque in illis contentis, de quorum cultu & officiis vid. Mendoza lib. II. cap. 2. Gemina fermè de *Calecutenſibus* referunt *Lud. Vartomannus* lib. v. Nav. c. II. & *G. J. Voß*. lib. I. Theol. Gentil. cap. VIII. Illi ſc. Deum Orbi regundo Dæmonem vicarium (quo ſuavius vitam tranſigat,) præpoſuiſſe mentiuntur, cujus ſimulachro, ſpecie quam horribili expreſſo ſacra faciunt. Longe verò exactius Sinicæ illius ſuperſtitionis veſtigia premit Secta quædam Indica, *Samaraeth* dicta, illius enim præcipuum dogma eſt, quod unus ſit Deus totius Univerſitatis Monarcha, qui

& con-

& condiderit & conſervet omnia, huncque lingua vernacula vocant *Parmiſeer*. Præter illum vero *Tria* minoris dignitatis Numina ſtatuunt, quibus & divinum præſtant cultum, & certa munia adſcribunt. Etenim *primo*, quem *Brama* appellant, à ſupremo Domino hoc munus aſſignatum eſſe putant, ut animas in hæc vel iſta corpora humana, vel bruta, pro Dei mandato compellat: *Secundo*, cui nomen *Baſſiuna* demandatum eſſe, ut homines voluntatem Dei edoceat, atque ad præcepta ejus (quæ IV. deſcripta libris aſſervantur,) hortetur, præterea ut agris & arboribus fertilitatem indat, atque hominibus omnia ad ſuſtentandam vitam neceſſaria ſuppeditet. *Tertius* vocatur *Mais*, qui tam hominum quam brutorum interficiendorum poteſtatem obtinere creditur, plura ſuppeditat *Jo. à Twiſt. in Indiâ Belgicè deſcript.* Cum his verò pariter

ac Sinis egregiè quoque conveniunt *Persæ* inter Indos habitantes, illi enim (trad. Varenio de Japponens. p.301.) præter supremum & omnipræsentem Mundi gubernatorem, *Septem* primarios ministros seu inspectores statuunt. *Primum* ex hisce vocant *Hamasda*, cujus officium sit homines ad honestatem vitæ hortari & impellere: *Secundum* Bhaman præesse omnibus brutis terrestribus & aquatilibus: *Tertium Ardibesth* ignis curam agere, & cavere ne extinguatur: *Quartum Saryvvaer* in omnia metalla & mineralia potestatem habere, atque ideò peccatum esse censent mineralia sordibus commixta relinquere: *Quintum Espander* de telluris atque agrorum conservatione sollicitum esse: *Sextum Aavvaerdath* Maris atque aquarum munditei conservandæ intentum esse: *Septimum Ammadaeth* arborum fructuum, & herbarum calamitatem avertere:

Atque

Atque hos VII. inſpectores in nullum animal necis poteſtatem obtinere credunt, ſed ſupremo Deo de adminiſtratione ſua eos rationẽ reddere debere. Minoris ab his authoritatis miniſtros *viginti quinque* conſtituunt, quibus ſingulis peculiaris inſpectio demandata ſit. Sinas verò *Spirituum ſeu* miniſtrorum illorum *materialitatem* admittere colligo ex eo, quod non ſolùm pios & virtuoſos in Angelos Cœli mutari; (quo de vid. *Mendoza* lib. 11. c. 6.) verum inventas quaſdam imagines, Apoſtolos repræſentantes, *Philoſophorum* in Angelos pridem *transformatorum* icones eſſe perhibeant, conf. eund. lib. 11. cap. 1. Sicuti v. præcipuum medium, quo nominis ſui cultum Orbi olim inculcare laboravit Cacodæmon, *reſponſa* fuêre, quæ vel è terræ cavernis, vel mutis ſtatuis edebantur, ita inter Sinas quoque non parum Naturæ *Dæmoniacæ* cognitionem eadem

dem promoverunt. Illi enim (qui Tertiæ ſectæ nomen dederunt,) cum Ægyptiis reliquiſque Gentilibus (perhibente *Trigautio* lib. 1. Exped. Sin. p. 103.) Dæmones conſulunt, & *Familiares Spiritus* ne[illegible] paucos poſſident, quæ res plus Numinis quam fraudis vulgò habere creditur. Eorum *Oracula* infantum vocibus, aut etiam brutorum excipiuntur; præterea abſentia quoque more ſuo evulgant, ut non abſimilem vero faciant eam quâ futura prænunciant falſitatem. confer etiam *Jarricum l.* v. *Theſ. Ind. c.* 51. ubi *Sinas* more reliquorum Gentilium Dæmones in ſtatuas & corpora humana ad danda reſponſa compingere tradit. Quâ ratione verò quibuſque ceremoniis Sinæ ab illis reſponſa accipiant, paucis exponamus: quidam manibus pedibuſque exertis, fronte Terram petit, dum alius neſcio quas cantilenas magicas è libro quodam rec[illegible]t, cæteri-

que

que tympanis officium faciunt. Tum Dæmon, occupato procumbentis corpore ad quæsita singula respondet. Eodem fermè modo *Iamanbuxæ* apud *Jappones* (perhibente *Frojo*) res vel amissas, vel furto sublatas comperiunt; statuunt enim ante se puerum: hunc dæmon certis evocatus carminibus occupat, è quo deinde, quod avent cognoscere, sciscitantur. Reperiuntur etiam apud Jappones nonnulli, *Gengues* dicti, qui res cunctas furto surreptas, furesque ipsos per divinationem demonstrant, de quibus vid. *Cl. Varenium* de Relig. Japponens. cap. I. Ex hoc itaque patet; *Japponenses*, qui eandem cum Sinis Idololatrarũ hæresi addictis, opinionem in Relione fovent, eundem etiam errorem hæreditario quasi jure possidere. Reliquias Gentilium de Dæmonibus superstitiones, alibi à nobis traditas, atque explicatas, hâc

vice repetere nolumus. Atque sic *Sinarum* opiniones de *Rerum Naturalium causis constituentibus* pariter ac *conservantibus* delibavimus, has enim illis statim annectere consultum videbatur.

Sectio XI.

Orbis *Interitus*. ex mente *Sinarum*. Gentilium aliorum. ἐκπύρωσις *Stoïca*. Mundi renovatio. periodus. *Mathesis* Sinica. Arithmetica. Astronomia. Astrologia Genethliaca. hausta ab *Arabibus*. Horum Mathematici celebriores. *Albumasaris* figmenta. Quatuor Machinæ Sinicæ. Ridiculæ sententiæ de causis Eclipsium. de ortu & occasu Solis. *Mathematicorum* Sinicorum officium.

HActenus de *Universi* hujus *Ortu & principiis* Philosophorum Sinicorum placita investigavimus, sequitur *Interitus*, quem stante temporariâ illâ è *Chao* productione utique admittere debuerunt. *Duodecim* itaque *Horis* Orbis totius ortum & interitum absolvi, è Sinico quodam de *Natura* Libro tradit

Mar-

Martin. lib. 1. Hist. Sin. pag. 4. ita ut horis singulis anni decies mille & octingenti assignentur. *Horâ* verò *nonâ* in universo Orbe magnam rerum atque ordinum omnium perturbationem fore; donec tandem omnia, ad suum *Chaos*, unde exierant revertantur. Quocum consenserunt illi præcipuè, qui olim eandem cum *Sinis* rerum è *Chao* derivationem admiserunt. Utpote *Stoici*, quibus alii quoque nonnulli hâc in parte accesserunt. Audiamus *Senecam Consol. ad Marc. c. ult. f.* 26. *Quum tempus advenerit, quo se renovaturus Mundus extinguat, viribus ista suis cadent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materiâ, uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet ardebit.* conf. *Ovid.* 1. Met. Horâ *nonâ*, quæ nobis à meridie est *Sexta* Mundi ruinam *Sinæ* (ut modo dictum) inchoant, pariter ac *Orpheus* de duratione Orbis disserens, posteros alloquitur: ἑκτῇ δ' ἐν

γενεῇ

χιλιᾷ καὶ καταπαύσεις κόσμου ἀοδῆς. In sexto millenario expectat mundi finem. Passim etiam occurrunt versus *Sophoclis* de interitu mundano, quos recitat *Justinus* lib. de Monarch. Dei, & *Strom.* v. inseruit *Clemen. Alexandr.* & totum locum *Clementis* in XIII. *προπαρ.* transtulit *Eusebius.* Initium illorum tale: *ἔσται γὰρ ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος*, &c. quibuscum confer *Lucretium*, & *Lucan.* lib. v. vers. 8: *Porphyrius* quidem (apud *Augustinum* x. de Civit. D. c. 2.) Christianos ob hoc maximæ stultitiæ arguit, quod istum Mundum dicant esse periturum; & *Cæcilius* paganus eosdem propterea quod toti Orbi & ipsi mundo cum sideribus suis incendium minentur, *ruinam* moliri affirmavit; Respondet tamen *Octavius Christianus* (p. 370. edit Paris. 1605.) immerito id Ethnicis absurdum videri, nam etiam *Stoicis* (ait) *constans opinio est, quod consumto humore, mundus hic*

hic omnis ignescat; & Epicureis de Elementorum conflagratione & Mundi ruina eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, nunc alternis vicibus ardescere; & quum ipsum Mundum perpetuum & insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen ipsi artifici Deo soli & solubilem esse & mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo quo exstructa est, destruatur. Eandem opinionem teste *Eusebio* (lib. xv. de *Præpar. Evang.* c. 13.) *Aristocles* lib. VII. de Philos. propugnavit, sc. κατά τινας εἱμαρμένους καὶ ὡρισμένους χρόνους ἐκπυροῦσθαι τὸν σύμπαντα κόσμον· *per fatalia quædam & definita tempora mundum exardere. Aristoteles* lib. I. de Cœl. c. 10. idem tribuit *Heraclito*, Stoïcis etiam *Laërtius* (in Heracl.) his & Epicureis *Minutius Felix* in Octav. l. d. Et sane apparet *Heraclitum* Stoïcis præivisse, cum sententiam illam suam postea fecerint. Quorum ἐκπύρωσις passim celebrata est,

& decantata non solum à *Lucio Annæo* (cujus verba supra apposuimus) verum alio quoq; *Senecâ* Herc. Oet.

> *Cœli Regia concidet*
> *Certos atque obitus trahet,*
> *Atque omnes pariter Deos*
> *Perdet mors aliqua & Chaos.*

Ut & *Lucano* lib. v. vers. 8.

> *Communis mundo superest rogus, ossibus astra*
> *mixturus.*

Simili modo deflagrationem futuram *Sibylla Cumea* (quæ Romanorum fata consignavit,) vaticinata est. Versus illos producit *Lactantius* lib. de *Irâ Dei*, c. 23. h.m.

> Καὶ πότε τὴν ὀργὴν θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα
> Ἀλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντά τε γενεὰν
> Ἀνθρώπων ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

Hos tamen alio sensu hodie legi observat *Cl. Thysius*, qui talis: *Et tunc Deum iram suam non amplius mitigantem, sed aggravantem, & perdentem genus hominum, ac totum id incendio ever-*

evertentem, *&c.* Ad *Stoicos* revertamur, qui conflagrationem Mundi certa post secula (pariter ac Sinæ) fore opinabantur, quam tamen paulò post rerum omnium in pristinum statum restitutio consecutura esset, quæ *Chrysippi* lib. de provid. sententia fuit, παλιγγενεσίαν appellavit *Varro.* Hinc etiam illi notante *Justino* (Apolog. 1. post init.) καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν εἰς πῦρ ἀναλύεσθαι δογματίζουσι, καὶ αὖ πάλιν κατὰ μεταβολὴν τὸν κόσμον γενέσθαι λέγουσι· *Ipsum etiam Deum in ignem resolutum iri docent, & per mutationem novum fore mundum dicunt.* Ex quo tamen loco patescit, *Stoïcos* periodicam potius, seu per vices semper succedentem exustionem & *renovationem* agnovisse. Dictis fidem conciliant illa *Numenii* apud *Euseb.* προπαρ· lib. XV. c. 17. his verbis: Placet Stoïcis Philosophis omnem essentiam ac Naturam in ignem converti, tanquam in semen, è quo rursus universi constitutio, qualis antea

antea fuerat perficiatur. Hinc *Æneas Gazæus* (in *Theophrasto*, edit. & not. illustrat. ab Incompar. *C. Barthio*,) scribit: τοῖς ἀπὸ τῆς στοᾶς ἐδόκει πολλάκις μὲν φθείρεσθαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, πολλάκις δὲ ἀνανεοῦσθαι. *Stoïcis quidem visum est sæpè interire cœlum, & terram, sæpè innovari.* Et idem sanè dogma primi & antiquissimi istius sectæ adstruxerunt, *Zenon* videl. *Cleanthes* & *Chrysippus.* Hinc *Arnobius* Lib. II. adversus Gentes scribit: *Qui ignem minatur Mundo nonne credit Panætio, Chrysippo, Zenoni?* Panætium verò cum Boëtho & Posidonio excipit *Philo* Jud. Lib. περὶ ἀφθαρσίας κόσμου, & addit cum ipsis quoque sensisse *Diogenem Babylonium.* Ad eandem *Stoïcorum* opinionem adludit *Plinius* lib. II. Hist. Nat. c. 106. de Ætnâ enim cœterisque montibus ignivomis locutus, naturam in his ita sævientem, *exustionem terris* denunciare judicat. *G. J. Vossius* Dispp. Theol.

Theol. XVIII. de Fine M. ⅁. 8. Stoïcorum mentem ita exprimit: Censuisse sc. hyeme summâ, anni cujusq; magni seu Maximi, κατακλυσμὸν seu diluvionem Orbis fieri; ac summâ ejusdem æstate mundi ἐκπύρωσιν, sive incendium: atque ita alternis temporibus ἐξαυχμοῦσθαι, καὶ ἐξυδατοῦσθαι, ut *Stoïci* apud *Laërtium* (in *Zen.*) loquuntur, *exignescere* vel *exaquescere*. Meritò autem *Aristoteles* ab opinione hâc liberatur, eò quod is diluvia quidem, & exustiones particulares, neutiquam verò universales admiserit. Mundi porrò renovationem *Empedocli* & *Heraclito* quoque tribuit *Clem. Alex.* l. d. ἐμπεδοκλῆς (ait) τῆς τῶν πάντων ἀναλήψεως μέμνηται, ὡς ἐσομένης ποτὲ, εἰς τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν μεταβολῆς· σαφέστατα ἡράκλειτος ὁ ἐφέσιος τούτης ἐστὶ δόξης. *Empedocles meminit instaurationis Universorum, utpote futurâ aliquando in ignis essentiam commutatione. Heraclitus Ephesius manifesto ejusdem est senten-*


tiæ.

tiæ. Juxta *Diogenem* tamen *Laërtium* docuit ἀΐδιον εἶναι τοιαύτην διακόσμησιν. Et Heracliti dogma eodē referente fuit, unum esse Mundum, eumque *ex igne* genitum, & rursus per vices & periodos quasdam universum hoc seculum *in ignem* esse vertendum: idque fato fieri. Qui verò ex philosophis contrariam sententiam tenuerint videre est apud *Stob.* Eclog. Phys. lib. 1. c. 24. De Christianis autem eandem defendentibus vid. *G. J. Vossium* l. d. De Gentilibus aliis *G. Calixtum*, Tract. de supr. Jud. p. 131. seqq. *Cl. Dilherrum*, part. 11. Dispp. xiv. §. 63. *Th. Farnab.* not. ad. *Ovid. Metamorph.* lib. 1. v. 256. & *Eliam Schedium*, de DIIS Germ. Syngr. 11. c. 20. *Ebræos* v. difficulter admodum Orbis ruinam admittere, non solum è *Phil. Jud.* (qui lib. περὶ ἀφθαρσίας κόσμου contra interitum Mundi prolixè disputat, & Stoïcis Peripateticorum argumenta


menta opponit,) patet, verum etiam ipſo *Maimonide*, quippe qui *Mundum* (ait part.2. c.29. Mor. Neb.) *hunc interiturum, vel ſtatum ejus præſentem in ſe, vel quâcunque ejus re mutatum iri, aut mutationem aliquam conſtantem ſubiturum, è ſcriptis Prophetarum & Sapientum probari non poſſe.* Quin nec XIII. eorum *fundamenta* quicquam hujus adſerunt. Orbis denique periodos *Heraclitus* & *Linus* decem millium & octingentorum annorum conſtituunt, annot. *Cenſorino* (de *die Nat.* cap. XVII.) *Dion* verò Decem millium Octingentorum octuaginta quatuor: Orpheus centum millium viginti: *Caſſandrus* tricies ſexies centum millium: alii verò infinitum eſſe nec unquam in ſe reverti exiſtimarunt. *Plutarchus* ex *Heracliti* ſententia ruinam illam definit XVIII. millium ann. Solar. *Diogenes Stoicus* CCCLXV. conf. *Macrob. de ſomn. Scipion.* XI. *Stob. l.d. c.*11.

Omnia

Omnia hæc Philosophorum placita cum *Sinicis* non incongruè conveniunt. Quippe periodicam Universi destructionem *Sinas* statuere, patet ex eo, quod *Horâ nonâ* magnam rerum perturbationem, ordinumque immutationem atque devastationem sibi persuadeant; panolethriæ verò XII. horas attribuant. Cum quibus etiam aliquo modo consentiunt *Persæ* inter Indos habitantes, utpote qui perhib. *Varenio*, mundum hunc post mille annos interiturum esse opinantur, aliumque *novum* creatum iri, quo tempore etiam animas ex inferno emittendas esse fingunt. Cum verè Sinæ horæ spatio annos *decies mille & octingentos* assignent, illorum periodus reliquas fermè omnes superare videtur. Quemadmodum verò *Sinæ* ad superstitionem proni, è levi saltem *Terræ motu* Imperio interitum ominantur; ita *Mundi ruinam* ex hujusmodi



Pag. 215.



modi prodigiis eosdem collegisse probabile est.

E Longorum autem annorum observatione, ac sensuali cognitione, multarum quoque rerum *Mathematicarum* notitiam *Sinæ* sunt assecuti. Etsi in *Arithmetica* pariter ac *Geometria* feliciores aliquanto extiterint, illam tamen numeratoriam artem, scriptis exprimi posse mirum videbatur tum, cum illius Systemata Europæos possidere *Riccius* narrasset. Hactenus quidem instrumento quodam peculiari, supputandi rationem instituerunt, vid. *Martinius* lib. 1. Hist. Sin. p. 16. quod è ligno ita fabricatum est, ut globuli filis æneis vel ferreis inducti, huc illucve ad conficiendos numeros permutari possint, series etiam fili quindenæ vel vicenæ, è summâ Tabulâ, deorsum æquali intervallo factæ, & per Tabulæ medium ductæ, ita dividuntur, ut in superiori ordine singula fila

la fila duos globulos capiant, quorum ſinguli quinarium valent; in inferiori verò, cujus ſpatium laxius in altitudinem patet, ſingula quinos habeant, non tamen ejuſdem valoris, quævis enim ſphærula pro monade tantum putatur. His itaque Globulis huc illuc, ſurſum deorſumque ſicut uſus poſtulat permutatis, magnâ facilitate dexteritateque rationes ſuas expediunt. Hunc computandi modum, perquam expeditum; errori tamen facilè obnoxium, & ad paucas latiſſimæ ſcientiæ ſpecies coarctatum eſſe nemo non deprehendit.

Nec parum in *Aſtronomia* à nobis diſſentiunt *Sinæ*; etſi enim æquinoctia pariter ac ſolſtitia etiam accuratè obſervent, annumque duodecim Lunis (cuilibet 30. dies tribuendo,) abſolvant; longè tamen aliâ ratione conſtellationes partiuntur, quin & in Stellarum numero, ſupra eas, quæ

ab

ab Aſtrologis noſtris hactenus obſervatæ ſunt, *quadringentas* addunt, Zodiaco inſuper 24. ſigna attribuunt. Verum cum Sinenſes Aſtrologi nihil admodum de Cœleſtibus Phœnomenis ad rationis calculos revocandis adlaborent; non eſt, quod noſtratium longè accuratiores obſervationes ſuſpectas habere debeamus. Multo majorem diligentiam atque ſtudium Sinæ in prædicendis *Eclipſium* momentis, & *Stellarum ac Planetarum* motibus adhibent, ut paulò poſt dicetur. Potiſſima vero, ac ferè unica de cognoſcendis ſideribus cura & ſcientia inter *Sinas* *ASTROLOGIA JUDICIARIA* eſt, cum ſibi perſuaſerint, omnia in hoc Orbe Elementari à ſideribus dependere. Hinc in ſolâ fermè hâc ſcientiâ illos aliquid præſtitiſſe exiſtimat in *Atl. Sin. Martinius* p. 7. Illamque penitus amplectuntur, ut humana contemnere, cœleſtia appetere vi-

deantur. Non inferiori cura laborant ex *ipso nascendi puncto* vitæ totius seriem fortunamque præscire, hinc nullus est, qui momentum hoc non exquirat & observet; nec desunt Artis hujus Magistri nugivenduli, qui è Stellarum cursu, vel numeris quibusdam superstitiosis futurorum præsagia promittunt, aut ex lineamentis in facie manibusque conspectis judicium ferunt, de quâ curiosa rerum futurarum inquisitione vid. *Trig. lib.* 1. *c.* 9. Unde verò in Disciplinis hisce Astrologicis Sinæ aliquid acceperint, necessariò jam disquirendum erit. Observavit autem Trigautius, eosdem plurima ab *Arabibus* (qui extremæ *Asiæ* partes olim visitarunt) didicisse. Illos verò tres potissimum scientias excoluisse è *Scharestanio* patet. 1. scientiam *Genealogiarum & Historiarum*. 2. ὀνειρο-κριτικὴν *s. somnia* interpretandi peritiam. 3. judicium *de vi Stellarum in*

con-

concitandis pluviis. Præcipua verò circa *Stellas fixas* cura fuit, quod illis cum *Indis* adeoque & *Sinis* (eodem *Scharestanio* judice) commune. Idem ait: *Arabibus & Indis diversam esse ab aliis circa stellarum motus observationem, deque earum effectis divinandi methodum, sc. non* juxta earum *naturas*, sed *proprietates* seu peculiares *influxus*, nec tam planetarum in judicando, quam *stellarum fixarum* rationem habere. Conf. Doctiss. *Pocokii Spec. Hist. Arab.* p. 163. 164. Idem prorsus de Astrologia *Sinicâ* affirmare possumus, utpote quæ non nisi circa operationes & *influxus* Luminarium cœlestium in hæc inferiora versatur.

Nec mirum adeò est *SINAS Muhammedanorum* hâc in parte evasisse simias, cum ipsi quoque Astrologi *Christiani*, temporis successu *prohibitæ Matheseos* venenum ab iisdem hauserint, propinantibus potissimum *Albumasare* Alpharabio, *Albategnio*,

 The-

Thebet ben Corâ, *Alkindo*, aliiſque. Horum placita & inſtituta cum (ut nulli dubitamus) ad *Sinas* etiam pervenerint, nec à multis annotata fuerint, hâc occaſione paulo fuſius perſequemur. De *Albumaſaris* vel *Abumaſaris* appellatione diſcrepant Eruditorum ſententiæ. In *Sepher Juchaſin* R. Abrah. *Zacutii* occurrit nomen אבו אלמשאר *Abu Elmaſchaar*; è quo *Zacuti* loco *Joſ. Scaliger* (in Dynaſt. Chaliph.:) deſumit vocem *Miſchaar*; *Jo. Seldenus* verò, præf. ad *Eutychii Orig. Eccleſ. Alexandr.* p. XVII. legit אבו אלמעשר *Abu Elmaaſar*. In verſionibus nonnunquam vocatur *Abalachi*, uti & interdum *Japhar*; *Abu Masjar Bactrianus* vertitur à *Magno Golio* in *Catal. Lugd. Bat.* n. 41. p. 5. *Jo. Picus Mirandul.* (lib. 1. in Aſtrol.) ait, *Philoſophum* tantum apud *Arabes* ſic nominari, neutiquam verò eâ voce Aſtrologum illum, (quem *Aboaſarem* nuncupat,) intelligendum eſſe.

Quem

Quem tamen propterea reprehendit laud. *Seldenus* l. d. p. XVIII. & prò *Aboasare*, *Abumasarem* ſubſtituit. Addit idem quædam ex *Ibn Chalican* MS. (Illuſtrium virorum Arabic. deſcriptore,) his verbis: *Abumasiar Giafar, Mahumed ben Omar Balachius, Aſtronomus celebris, (cujus ſunt egregia de ſcientia ſiderali opera, ut Introduct. Tabulæ, & conſtructio, ac fuêre inventa ejus perutilia) obiit anno* 272. Hinc patet cur in verſionibus *Abalachi* & *Japhar* vocetur; *Abalachi* enim à *Balachi ſ. Balachio*; *Japhar* verò à *Giafar* factum eſſe probabile eſt. Vulgò ſtatuitur eundem ſeculo X. floruiſſe, aſt è verbis cit. *Ibn Chalican* patet, illum jam *Anno Hegiræ* 272. ſeu Chriſti 885. vitam cum morte commutaſſe. Hunc verò *Abumasarem* vel *Albumazarem Alpharabium*, nil minus quam Philoſophum verum, ſed Aſtrologicæ tantum vanitatis authorem maximum fuiſſe, ex

eo patet, quod *Tract.* 1. *diff.* 4. *de Magn. Conjunct.* annum Christi MCCCCLX. *Religionis Christianæ fatalem* nuncupaverit. Nec magis æstimanda & illa somnia sunt, quasi almæ Virginis signum, in octavo Horoscopi gradu, nocte Christi natali deprehensum, magnam Religionum denotaverit immutationem, addamus commentum ipsum: *Adscendit in primâ facie istius signi virgo pulchra, capillitio prolixo, duas in manu sua habens spicas, residens in siliquastro, nutriens puerum in ulnis gestantem, nominat hunc* Natio *quædam* JESUM, *sidusque virgineum illam in adscensu comitatur.* Quæ *Abumasaris* verba Latinè ex Arabico citat *Rogerus Bachonus*, Anglus, Oper. Min. ad Clem. IV. p. 111. subjungitque: Intentio est, quod *B. Virgo* habuerit figuram & imaginem infra decem primos gradus virginis, & quod nata fuerit quando Sol est in Virgine: & ita signatum

gnatum habetur in Calendario, & quod nutriet filium suum Christum in Terra Ebræorum. En! *Christianum* poculo *Muhammedico* Ebrium. Sed & alium in medium producamus: is *Cardinalis Cameracensis* est, qui pro *Albumasaris* authoritate, illiusque Themate natalitio, veluti pro aris a focis pugnat. Et certè insignis impudentia (judice G. I. *Vossio*, lib. 11. Theol. Gent. c. 48.) deprehenditur, *quando Nativitatis Christi de virgine, & tot tantorumque ejus miraculorum ratio ex horoscopo derivatur.* Quamobrem obelisco *Bellarmini* merito notatus est *Camerac. Cardin.* ut hic illius error caveatur à studiosis, confer *Sixt. Sen.* lib. v. Bibl. S. annot. 15. & 81. & lib. vi. annot. 10. Similis impudentia est, quando *Albumasar* lib. ii. de Magn. Conjunct. tract. 1. diff. 4. è siderum constitutione judicium fert de Religione *Judæorum, Saracenorum, & Gentilium*

 reli-

reliquorum. *Judæorum* quidem natam voluit ex conjunctione Jovis cum Saturno, ut Planetarum summo: *Chaldæorum* autem sectam, quia Hebræorum sive Noachi religionem prima excepit, ortam esse ex ejusdem Jovis conjunctione cum Marte ut Planetarum proximo. Ex conjunctione Jovis cum Sole planetarum quarto, ortam esse hæresin *Ægyptiam*, quæ *Chaldaicam* est consecuta: Ac similiter ex conjunctione cum Venere provenisse *Saracenicam*; ex conjunctione Jovis & Mercurii originem ducere *Christianam*: Ac denique cum Luna proventurum esse Regnum *Antichristi*. Ejusdem farinæ est, quod ex illis (scil.) fati consciis sideribus, *R. Abrah. Avenaris* collegit venturum *Meßiam* anno Christ. MCCCC XLIV. quo Jupiter cum Saturno futurus esset in Cancro, vel saltem xx. annis post, quando eadem conjunctio foret in

pisci-

piſcibus. Utrumque enim intervallum jam ab annis CXC. exſpiravit. Univerſam autem *Aſtrologiam Genethliacam* ex Theologicis ac Phyſicis principiis, ipſiſque Aſtrologorum penetralibus egregiè diſcuſſit *Eminentiſſimus Academiæ Tubingenſis Cancellarius D. Tobias Wagnerus*, Tract. peculiari. Porrò inter illos qui apud Arabes in hoc ſtudio nomen ſibi pepererunt, numeratur *Albategnius*, vel *Albatenius*, Aractæ Meſopotamiæ Urbe oriundus, aliàs *Muhamed Aractenſis*, & Copernico Aratenſis dictus. Qui etſi obſervante *Scaligero*, *Ptolomæum* paſſim corrigat, nihilominus doctrinam de motu ſtellarum, ex ejuſdem pariter ac propriis obſervationibus (ad annum *Hegir.* 306. continuatis) adornavit. Qui liber extat cum demonſtrationibus & additionibus *Jo. Regiomontani.* De celeberrimo hoc Aſtrologo diſſerit in צמח דוד *R. D. Ganz.*

h. m. הוא המציא וחידש חשבון נכון ולוחות לחכמי התכונה אשר נהגו בהם עד היום הזה לחשוב ממנו התקופה האמיתית. h.e. *Instauravit calculum exactum, & tabulas Astronom. quibus utuntur ipsi usq; in hunc diem in motu vero supputando.* De eod. vid. *Edw. Pocokii* Spec. Hist. Arab. p. 372. Duobus hisce à *Zacutho* adjungitur *Thebet ben Corâ*, qualis tamen de eo lis ab aliis inoveatur docebit *Jac. Christmannus* comm. in cap. VI. *Alfragani*, edit. Franc. 1590. adde *Pocok.* l. d. pag. 377. Eundem verò, *Euclidem* à mendis purgasse, ac commentario illustrasse, ex Orientalium libris docent *Gabriel & Jo. Maronitæ*, in *rebus Orientis*, *Geograph. Nubiensi* subnexis. Denique *Alkindus* vel *Alchindus* (Arabum Regibus oriundus, & *Philosophus* κατ' ἐξοχὴν dictus) locum obtinuit inter novem judices, qui cum Haly de *judiciis Astrorum* communiter conjunguntur. Ille verò ab *Hieronymo Cardano*, lib. XVI. Subtil.

til. inter XII. subtilia Orbis ingenia numeratur, & libellum (eod. judice) ingeniosissimum de ratione sex quantitatum reliquit. Extat etiam ejusd. Tract. MSCR. *de judiciis*, in instructissima Biblioth. *Bodlejana*, quæ Oxoniæ est. Inter MSS. Arab. (quæ pro Academiâ Lugdun. ex Oriente advexit celeberr. *Golius*,) occurrit etiam *Is. Kindaus*, *quem vulgo Alkindum vocant*, *de metiendis distantiis*, *& de Electione dierum*. Errores tamen ejusd. annotavit *Ant. Possevinus*, in Biblioth. Select. Tom. II. cap. XXXIX. Atque hæc tum de *Astrologis Arabum* præcipuis, tum de ipsorum vanis & ineptis prædictionibus adjicere placuit, cum vero simillimum videatur, *Sinas* horum pariter ac reliquorum placita accepisse, & in hunc usque diem cum nugis aliis constanter retinuisse.

Quia verò *Arabes* illi, (qui confirmante *Trigautio* lib. I. *Exped.* c. IX. ad

extremam Orientis partē olim pervenerunt) nihil demonſtrationibus ſolidis confirmaverint, ſed tabulas ſolum quaſdam reliquerint (ad quarum normam *faſtos* ſuos, utriuſque *Planetæ Eclipſes*, & omnium motus *Sinæ* revocant,) facilè colligitur, eoſdem (præter illa genuinæ Matheſeos excrementa,) exiguam rerum Aſtronomicarum cognitionem acquiſiviſſe. *Areæ* quidem, in modico colle ſitæ, & ad ſiderum contemplationem deſtinatæ, mentionem faciunt Rerum Sinicarum ſcriptores, in qua *Machinas Mathematicas* inuſitatæ magnitudinis, ex ære fuſili conſtruxerint, quæ antiquitatem quandam præ ſe tulerint. Harum verò quatuor enumerantur: Prima *Globum* exhibet, ſuis meridianis, paralleliſque diſtinctum, cujus ambitum tres viri neutiquam amplecti poſſint, in ejus ſuperficie externa ſculptum nihil, quo innuitur, eundem nondum
abſo-

absolutum fuisse, aut studio ita relictum, ut Globi Cœlestis pariter ac Terrestris vicem obtineret. *Altera* ingentem *Sphæram* repræsentat, in quâ *Horizon* præcipuè cum polis conspicitur, Circulorum verò reliquorum vices subeunt armillæ quædam duplices, illa etsi ob vacuum intra spatium deprehensum, *Sphæra nostra* respondet, in ejus tamen medio nullus terræ globulus apparet, sed tubus quidam instar sclopeti perforatus, quem quaqua versum volunt, volvere etiam possunt, stellas insuper quaslibet, artificio non inepto comprehendit. Tertia *Gnomon* est, duplo superioris machinæ diametro altior, ad Borealem plagam in ingenti marmore collocatus, cujus ope absque dubio solstitiorum & æquinoctiorum ratio ad amussim notatur, saxum enim ipsum cum stylo in suos gradus distributum cernitur. *Quarta* deni-

denique omnium maxima, è tribus aut quatuor ingentibus *Astrolabiis* juxta se positis constat. E quarum machinarum structurâ, non incongrue Cl. Conringius (de Hermet. Medic.cap.xxvi.) colligit, Arabum studia ad Sinas usque pervenisse. Characteres etiam *Sinici* singulis instrumentis insculpti, horum omnium significationem exponunt. In dicto quoque colle semper unus aliquis *Astrologorum* horis nocturnis excubat, si quid fortè Cœlum inusitata siderum, *Eclipsium* vel *Cometæ* alicujus novitate portendat, quod si contigerit, die insequenti, misso ad Regem Libello admonent, ac simul exponunt, quæ sinistri quæ læti ominis significatio videatur. Præprimis autem ortis *Eclipsibus* anxii sunt, cum non tantum sibi persuadeant, *Draconem* vel *Canem* quendam Solem ac Lunam devorare velle; verum solennibus etiam sacrificiis,

ritibus,

ritibus, & ingenti cumprimis strepitu, clangore atque clamore laboranti Soli vel Lunæ succurrere conentur. Imò Præfecti pariter ac cives ubivis locorum, *Eclipsin* sollicitè expectant, tympanis ac pelvibus æreis instructi, ut periculum imminens hâc complosione avertant. Huc non incommodè refertur stulta priscorum de *Lunari deliquio* sententia, quæ Lunam carmine quodam Magico de Cœlo trahi statuit, ne igitur illud Lunâ audire teneatur, veteres (refer. *Plinio* lib. II. c. 11.) *crepitu dissono auxiliabantur.* Imò illi quoque cum Sinensibus æreorum vasorum tinnitu, tubarumque strepitu (docente Tacito lib. x.) juvari putabant cælestia lumina. Ejusdem farinæ sunt illa, quæ *Livius* lib. XXVI. narrat, *Campanarum sc. imbellem multitudinem, cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, clamorem edidisse.* confer. Plutarch. in vit.

vit. Æmilii. De quâdam insuper Indorum gente accepimus, illam, Lunæ defectum, ruboremque ejus copioso fletu prosequi solere, quod existimet, eam à Sole ad sanguinis usque effusionem flagellari. Aliam æque ridiculam opinionem *Sinis* tribuit *Trigautius* lib. IV. Exped. Sin. somniare sc. eosdem, *Numen quoddam Holocan nomine, Solarem Eclipsin Solem dextra tegendo; Lunarem, læva lunam occultando efficere.* Multis porrò Sacrificiis *Eclipseos* tempore Dei iram timidi avertunt, refer: *Jo. H. Linschotano*, Itin. c. 23. si verò Mathematici defectum talem indicare neglexerint, extemplo capite errorem illum luunt. conf. *Martin. Hist. Sin. lib.* I. Magis miramur deliquiorum horum atque Terræ Motuum causas ipsos *Romanos* ignorasse ad *Tiberii* usque tempora, quæ certè causa fuit, cur milites *Dusi* defectu Lunæ adeò consternati; & sacra ipsa ob

ob terræ motum indicta fuerint, quæ Obſecrationes appellabantur. Fiebant illæ certis precationibus à ſummis Magiſtratibus, & ne quid verborum præteriretur, aut præpoſterum diceretur, ſcripto præibat aliquis, rurſuſque alius, plura de iiſdem annotavit *Vir de omni literaturâ humaniori meritiſſimus* D. *Fr. Rappoldus*, in accuratiſſimis ad XXVIII. cap. *Noct. Attic. Agellii* obſervationibus. Ineptam denique *Sinenſium* de ortu & occaſu Solis ſententiam prioribus ſubjungamus. Quippe fingunt *Solem* noctu ſeſe intra montem abſcondere, cui nomen *Siumi*, huncque in mari radicem 24. miliarium millibus ſub aqua profundam habere, fortaſſe ut *Decius Brutus* cum in extremo Hiſpaniæ limite bella gereret, Solem in Maria cadentem, obrutumque ſacrum ignem aquis, non ſine ſacrilegii horrore ſe vidiſſe teſtabatur, *vid. Flor. lib.* II.

lib. 11. *Histor. cap.* 17. æque ridiculam, de ortu & occasu Solis docuerunt sententiam *Stesichorus & Æschylus*, illum scilicet ab Oriente in Occidentem, *aureo* in *calice* à Vulcano fabricato, enavigare. Atque hæc de *PHYSICA Sinarum* dicta sunto.

Sectio XII.

Philosophia *Moralis*. Sinica vivendi præcepta. exhibent juris Naturalis compendium. respondent Sanctionibus *Noachicis*. Summa perfectio. *Epicuræi* ante Epicurum. Sinarum Virtutes. *Pietas* ergà Parentes vivos. demortuos. Sententiæ aliæ præcipuè Ebræorum de Honore Parentibus debito. De *Luctu* instituta variarum Gentium. *Fortitudinis* Sinicæ definitio. divisio. exempla. Hieroglyphica. *Justitiæ* descriptio. Fructus. Symbolum. *Prudentiæ* Virtutumque reliquarum nexus. Virtutes *Homileticæ*. cardinalium pedissequæ.

E Jucundâ autem Rerum Naturalium congruentia, *Morum* quoq; venustatem tā egregiè deducunt Sinæ; ut è nobilissimarum disciplinarū varietate, in soli[illegible] propè *Philosophia*

Mora-

Moralis notitiam deveniſſe videantur, quippe illam non antiquitatis ſolum elogio commendant, verum ex ipſis quoque *Naturæ* atque rationis principiis derivant, & ad Reip. gubernationem applicant. Inter Tres autem ſupra enarratas Philoſophorum Sinicorum Sectas, *Prima* potiſſimum hanc Philoſophiæ partem egregiè excoluit, cujus aſſeclæ exercitium Virtutis maximoperè injungunt atque commendant, *Summamque Perfectionem* in eodem collocant, nec tam propter præmium, aut mercedem, quam nobilitatem & pulchritudinem *Virtuti* adhærentem, hanc colendam eſſe docent, quum nihil in Orbe eandem vel æquare vel ſuperare poſſit. Reticendum tamen neutiquam eſt, Magnâ cum hypocriſi & ſimulatione *Sinicas Virtutes* eſſe conjunctas, adeò, ut fermè majori fraude ad diſſimulanda vitia; quam labore

labore & studio, ad exercendas virtutes utantur. Hinc plerique ostentationis vel captandæ gloriolæ gratiâ, castitatem atque temperantiam evehunt, sectantur verò minimè.

Quanquam verò propter Dialecticæ defectum nullo ordine, sed confusis fermè sententiis *Moralem Philisophiam* tradiderint, ad *Sex* tamen capita *Benè vivendi* præcepta revocarunt, quæ ut à nemine oblivioni tradantur: àque pueris una cum nutricis lacte imbibantur, per publicos præcones, singulis noviluniis ac pleniluniis paulo ante Solis ortum, opidatim magna voce recitantur, (quo de vid. *Nic. Longob.* Epist. de statu Regni Sin. pag. 29. 30. & *Jarric.* Tom. II. Thes. Rer. Indic. c. XX.) Ita accidit; ut eodem non solum tempore, sed etiam die, imò eâdem horâ per totam *Sinam* quanta quanta est in omnibus plateis Sex illa vivendi capita tradantur.

Sunt

Sunt autem hæc: I. PARENTIBVS OMNES OBEDIVNTO. II. SVPERIORIBVS HONOREM ET OBSERVANTIAM DEFERVNTO. III. INTER PROXIMOS ET VICINOS CONCORDIAM ET PACEM CONCILIANTO. IV. LIBEROS AC NEPOTES LITERIS AC DISCIPLINIS HONESTIS INSTRVVNTO. V. PARTES ET OFFICIA SVA QVILIBET DEBITE EXEQVATVR. VI. NEMINI VLLA INIVRIA IRROGETVR, SIVE CORPORIS LÆSIONE, SIVE ADVLTERIO, SIVE FVRTO.

Non immeritò commemoratas Leges maximam *JURIS NATURALIS* partem ſalutare poſſumus, quippe quæ dici merentur univerſaliſſima & prima *morum* principia, quorum veritas & rectitudo non ſolum eadem apud omnes eſt, (ut cum *Thomâ* loquar,) èque mente hominis deleri non poteſt; verum etiam quæ actionem homini ex ſe & ratione

ratione sui competentem jubent, nec non talem actum vetant, qui inordinationem moralem sive malitiam continet extrinsecam, atque ut Philosophus inquit (II. Ethic. c.6.) εὐθὺς ὠνόμασται συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. *Statim ut nominantur cum pravitate implicantur.* Nec minus (præsertim in præcepto ultimo,) nonnulla *Noachicæ* doctrinæ, VII. præceptis comprehensæ, vestigia deprehendere possumus, adeò, ut conjectura illa supra sub fin. Sect. 2. à nobis annotata non parum confirmetur, primos Imperii *Sinici* cultores, eâdem prius imbutos, in extremam *Asiæ* partem, factâ Gentium dispersione, pervenisse. Etsi enim vel ordo vel numerus non observetur; (utpote qui temporis successu facile potuit immutari,) ipsa tamen mandatorum pondera, interdictorumque momenta (in postremo præcipuè) continentur. Et quanquam *cultus*

quo-

quoque *Divinus Naturæ* dictamine inculcatus, à *Noacho* etiam rectè posteris injunctus fuerit; dubium tamen nullum est, quin lethifer Orci Tyrannus, ut apud Gentiles reliquos, sic Sinas præcipuè, eundem, utpote salutis proram puppimque subtrahere, aut turpissimè incrustare allaboraverit, ita ut quemadmodum de *Tyriis* ac *Sidoniis Grotius* (Annot. ad Lucæ c. XVI. 31.) scribit, etiam de *Sinis* affirmari possit, *eosdem longâ consuetudine, & ignorantiâ, veterem Noachidarum traditionem obliterasse.* Hanc verò altiores radices apud *Japonenses* egisse, patet ex eo, quod (tradente *Xaverio*) inter quinq; illa præcepta, à diversissimarum disciplinarum studiosis recepta, primum statim locum, illud de non occidendo & *Occiso non comedendo* obtinuerit; alterum verò furta; tertium adulteria; quartum mendacia; quintum denique luxum & ebrie-

ebrietatem prohibuerit. Commodè autem *Sinica* illa *Præcepta* distinguere possumus in *affirmativa* ac *negativa*, non secus ac ipsi *Judæi* quædam תעשה quædam לאתעשה appellare consueverunt, (quorum Catalogum unà cum *Philologo suo Ebræo* edidit Vir *Cl. Jo. Leusden*,) Prior classis *quinque* priores, posterior *Sextam* & ultimam Legem sibi vendicat. Harum autem vis tam latè non solum apud *Sinas*, verum reliquas etiam Gentes patuit, ut pro Magistratus arbitrio aboleri neutiquam potuerint, omnesque omninò homines obstrinxerint. Hinc ratio reddi potest, cur universaliora hæc principia magis & frequentius in *Sinico Regno* inculcentur, ac repetantur, quam *Constitutiones Imperiales* reliquæ, à Regibus diversis temporibus latæ & adornatæ, non secus ac Judæi מצות בני נח *Præcepta filiorum Noachi* (quæ juxta eosdem נצטוה אדם הראשון jam

jam accepit homo primus, à Numine sc.). ab חקים seu *Statutis* aliis distinxerunt, & ex illis (ut *Nizzachon* R. Lipmanni n. 32. docet) peculiare jus, Ebræorum Civili contradistinctum, adornarunt, in quo frequentissimè איסור והיתר *Vetitum & Licitum* distinguere, & à se invicem separare consueverunt, quæ cognitio fundamentale etiam apud *Rabbinos* mysterium constituit. De hâc *distinctione* verò ex ipsis *Ebræorum* scriniis egregia suppeditavit, & ad *R. Mosis ben Majemon* cap. VII. Hilc. עכום *num.* XVI. annotavit Vir harum Literarum peritissimus, inque Rabbinorum Scriptis versatissimus D. *Jo. Benedictus Carpzovius.* Illam verò quam antea tradidimus præceptorum Sinicorum à *constitutionibus aliis* differentiam approbavit etiam *Iosephus* (Orig. XVI. c. 10.) dum jus aliud appellat τὰ ἔθη *consuetudinem*: aliud τὸ δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως λυσιτελέστατον, καὶ

πρὸς καλοκαγαθίαν κοινὸν ἅπασι. *Omnibus omnino hominibus ex æquo utile, & universis ad quietem necessarium & commune.* Nec minus *Justinus* contra *Tryphonem* vocat quædam φύσει καὶ αἰώνια καλά, *suapte naturâ & semper bona*; quædam verò πρὸς σκληροκαρδίαν τοῦ λαοῦ διαταχθέντα· *Ob duritiem populi tantum data.* Denique talem fermè industriã adhibent *Sinæ* in inculcandis & injungendis illis præceptis, qualem Nationes aliæ, & præcipuè *Ebræi* in propagandis Noachicis sanctionibus. Hi equidem illos omnes in bello interficere, eque hominum communione tollere jussi sunt, qui easdem ignorarunt, & è *Rabbinorum* monumentis notum est, citra immanitatis & barbariei efferatæ notam, quin & omnimodam deletionem, illas neminem violasse, hinc expressè scrib. *Maimon.* Hilk. מלכים, c. 8. *Omnes Gentiles præcepta Noachi servare detrectantes fuisse occisos.* In hoc

hoc itaque *Legis Naturalis* compendio, seu præceptorum à Natura insitorum observatione, *Summam perfectionem* CONFUTIUM posuisse supra declaravimus. Tantum autem abest, ut ab hâc *Confutii* mente Philosophi inter *Sinas* reliqui recesserint, ut potius encomiiis summis *Virtutem* ornaverint. Inter *Tria* equidem præcipua in Terrarum Orbe, *UBIQUE VIRTUTEM* prædicavit *Mentius*, perhibente *Martinio Lib.v. Hist. Sin. p.*158. Quanquam ante *Epicurum* in Sinico Imperio *Epicurei* extiterint, quorum Princeps ab eod. lib.IV. p.117. *Laotanus* appellatur, qui post mortem nihil nostri superesse asseruerit, finemque hominis *voluptatem* statuerit.

Inter Omnes autem *Virtutes*, quas aliquo loco *Sinæ* habent, primum facilè locum *PIETAS* seu *Obedientia* ergà *Parentes* obtinet, quam mira observantia etiamnum tuentur, &

ut paulò ante diximus, inter præcepta Naturalia referunt: Etsi verò hoc nomine *amorem in omnes homines* intelligant, exindeque virtutem *cordis* definiant, regulam *amoris*, item rationem & modum benè *amandi* salutent, imò ad ipsos etiam inimicos seu *hostes* extendant; reverentiam tamen præcipuè erga *Genitores* virtute hâc commendant, & si *Longobardo* Epist. p. 29. credimus, in eâdem hominis *perfectionem* consistere sibi persuadent. Hinc extrema pro iisdem suscipiunt, & eorum mortem amictu lugubri in *triennium* deplorant, quo tempore nec conjugia ineunt, nec gradus vel officia suscipunt, locum quoque, cibos, supellectilem cum vilioribus permutant, nec nisi in humili scamno sedent, officia etiam splendidissima deserunt, & domum ad justa persolvenda se conferunt. Ipse qui in luctu moratur, non aliud

quam

quam *ingrati filii* nomen ſibi vendicat, ut qui obſequio, curaque debitâ parentum vitam prolongare neſciverit, quin potius obitum offenſis quam plurimis acceleraverit. *Triennii* verò rationem non omninò nullam è Philoſophia *Sinica* afferunt; juſtum videlicet eſſe, ut qui primo *vitæ triennio* parentum amore fuerint ſublevati, tantundem temporis poſt eorum deceſſum, ad compenſandas moleſtias, luctui impendant. Egregium autem filialis hujus obſervantiæ ſpecimen ſuppeditat *Hiſtoria Sinica*: h. m. *Xunum* filium pater inſtigante noverca ſæpius è medio tollere parabat, niſi filii manſuetudini parentum ceſſiſſet improbitas, quâ perdomitâ tota familia ſe correxit ad frugem, & ipſe *Xunus* Sinicum acquiſivit Imperium. Tolerantia illius docuit, nullum patrem adeò iniquum eſſe poſſe, cui filius obſequium non debeat, conf. *lib.*1. p.30.

Etsi verò Gentiles alii *Pietatis* nomine præcipuè *Deorum* cultum intellexerint, obſervantiam tamen *parentibus* debitam eodem frequenter ſignificarunt. Hæc duo conjungit *Cicero* lib. I. de *Nat. Deor. Pietas justitia est adversus Deos, & Cultus erga Majores, aut Sanguine conjunctos.* Tantæque hoc evidentiæ eſt, ut aliunde non edoctus, ſolius Naturæ inſtinctu *Plutarchus* γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεοὺς πρώτην καὶ μεγίστην· *parentibus secundum Deum primum maximumque honorem deferendum censuerit.* Et *Ebræi* in *Mischar happenimim* egregriè ſtatuunt אין מדה *nullam esse virtutem* שאחריתה לטובה כאמונת אלהים וכבוד האבות: *cujus finis tam certò sit bonus, quam fidei in Deum & Honoris Parentum.* Quippe Deus, judicante *Kimchio*, ab Iſraëlitis non tam ex jure quodam poſitivo, quam naturali, honorem parentis, utpote omnibus notorium poſtulavit. Inter ea quoque quæ בכל אומות

נתפרסמו אומות *inter omnes Gentes publicata sunt*, expreſſe *Honorem parentum* numerat R. *Aben Tybbon* in *Ruach hachen*, c. III. & VI. & ſacra inſuper Lege Hebræi monent tum de כבוד *honore*, tum de מורא *timore* ſeu reverentia Parentum, & de utroque *Majmonides* Hal. *Mamar. c. 6. h. m.* איזהו מורא ואיזהו כבוד מורא לא עומד במקמו ולא עומד במקמו ולא יושב במקמו ולא סותר את דבריו ולא מכריע את דבריו ולא יקרא אותו בשמו לא בחייו לא במיתו אלא אומר אבא מרי : h. e. *diſcrimen inter honorem & timorem ſeu reverentiam patris hujuſmodi eſt, ut ex reverentia filius non ſtet in loco ejus ſeu locum ejus aſſuetum ſtando occupet, nec in loco ei adſueto ſedeat, nec ſententiæ ejus refragetur, nec eidem aſſentiatur,* (h. e. in medio illam relinquat,) *nec eum nomine ſuo appellet, ſive ſuperſtitem ſive mortuum, ſed ad hunc modum loquatur: Abba ſeu Pater Dominus meus.* De *Honore* verò h. m. איזהו כבוד מאכיל ומשקה מלביש ומכס׳ משל אב ואם אין ממון לאב

לאב וישמכון לבן כופין אותו וזן אביו ואמו
כפי כח שהוא יכול : *Honor in eo consistit ut cibum & potum ei subministret filius, uti & vestitum, ex eo scil. quod patris est, seu ex bonis paternis, quibus si careret, cogendus erat filius si ipsi bona essent, ut utrumque aleret parentem in quantum posset. De honore verò parentibus defunctis* exhibendo *Ebræorum* sententia est : כשם שחיב אדם לכבר אב בחייו כן חיב לכברו לאחר מיתה : *Sicut homo honorare debet patrem in vita suâ : sic eundem honorare debet postea quam mortuus est.* In honore autem exhibendo præferendus erat Matri *Pater*, in timore seu reverentiâ Patri *Mater*. Ratio annectitur ללמר ששניהם שוים בין למורא בין לכבוד : *ut inde parilis utriusq; dignitas cognosceretur, dum tam reverentiam quam honorem intuemur.* Inter Gentes verò alias *Ciconia* significabat hominem erga parentes pium, & veræ charitatis officiis insignem, cum hæc parentes nunquam deserat, senectu-

nectutem curet, infirmitatem sublevet. Patet hoc præcipuè è Numis *Hadriani* qui avem illam exhibent cum Inscriptione: *PIETAS AUGUSTA*. Unde pientissimum illud ἀντιπελαργεῖν usurpatum in *Adagiis*, confer *Erasm.* Chil. I. cent. X. & antiquissima *Lex Pelargica* honore nominis hujus habito. Huic verò Legi *Athenienses* illos tantum filios addictos voluerunt, qui vel disciplinis, vel honestis artibus fuissent à parentibus instituti, qui verò negligenter educati essent, nihil eos parentibus debere. Exempla Virtutis hujus passim extant, conf. *Liv.* lib. XL. *Val. M.* lib. V. c. 4. *Plin.* lib. VII. cap. 36. *Pier. Hierogl.* lib. XVII. cap. I. *Demster.* ad l. II. Antiq. Rom. Ros. c. XVIII. Punitæ verò Impietatis Exempla collegit *Camer.* part. III. Hor. Sub. c. 36. Sed quum præcipuè de *Sinarum* Pietate quam parentibus defunctis *Luctu Triennali* exhibent, quædam an-

notaverimus; placet aliarum quoque Gentium Instituta annectere, quo magis appareat, illas omnes hoc pietatis officio à *Sinis* superari. *Ægyptii* LXX. dies in mœrore consumserunt, uti patet è c. L. 3. Gen. conf. Comment. *Pererii* in h. l. *Græcis*, (teste *Plutarcho*) *Lycurgus* undecim tantum dies concessit, & *Solon* flebiles lamentationes Atheniensibus sustulit. Inter *Romanos* lugendi tempus x. menses nunquam excessit, vid. *Plut.* in vit. *Num. Pomp. Rosin.* d. l. lib. v. & *Jo. Kirchman.* de Fun. Rom. etsi Leges Civiles parentibus & Liberis certum modum non præscribant. De legitimo verò luctus tempore differit *Cujacius*, lib. VI. observ. c. 32. *Germanos* olim planè non luxisse mortuos, perhibet *Tacitus* lib. de *Mor. Germ.* Idem testatur *Pluturchus* Consult. ad Apoll. ab aliis tamen XXX. dies iisdem assignantur. *Tartari* quoque luce trigesima;

ma; *Rußiani* verò quadragesimâ tristes esse desinunt. Apud *Ebræos* parentes à filiis per integrum annum lugentur, qui etiam à funere reversi septem dies in pavimento nudipedes desident, ac ante 30. diem se nec lavare, nec tondere, nec quovis alio modo reficere permittunt. Quos ut & alios ritus *Ebræorum* lugubres è Sacris Liter. & *R. Majm.* tit. אבל Tract. pecul. exhibuit atque illustravit Summus Vir *D. Martinus Geierus*, confer Incompar. *Buxtorffii* Synag. Jud. cap. XXXV. & *D. Dilherri*. Disp. Phil. XV.

PIETATEM Sinicam excipit *FORTITUDO*, quæ non solum à CONFUTIO locum inter præcipuas *Virtutes* obtinuit; verum *Mencio* etiam egregiè explicata atq; illustrata est. Ille enim de Animi motibus agens, mirabiliter de Constantiâ & *fortitudine* disputat, eamque in *Internam* & *Externam* dividit. *Illam* in eo statuit,

tuit, ut Vir fortis nihil formidet aut horreat, nec de Victoriâ dubitet, imò omni timore careat. Hæc verò seu *externa*, juxta eundem nihil injustum nihil rationi absonum admittit, quod utrumque debilitatem appellat. Non malè, modo terminis Naturam utriusque exactius exprimentibus hæc expressa fuissent. Veram equidem *fortitudinem* in *moderatione Affectuum* sitam esse, non Sinarum solum, verum reliquorum etiam Gentilium sententia est. Et ex *Ebræis* quærit *Ben Soma* in Avoth cap. IV. איזהו גבור *quisnam est fortis?* respondetque: הכובש את יצרו *Qui vincit concupiscentiam suam.* Sinicæ *Fortitudinis* exemplum (& quidem *interna* ut cum *Mentio* loquar) annotavit *Martin.* l. VII. *conf. lib.* V. *p.* 158. Ipsi Philosophi fide erga Regem ac Rempublicam, mortisque pro patria contemptu, palmam etiam militibus præripiunt. Non temerè *Adamantem*

pro

pro Fortitudine olim proposuerunt, & per *Quercũ* significarunt, præstantes quippe Viri inenarrrabili constantiâ periculis resistunt, conf. *Pier.* Hierogl. lib. XLI. c. 35. & lib. LI, c. 4. In Numo *Nervæ Trajani* Fortitudo ita figurata cernitur, ut cum clava Leonino insideat capiti; per clavam absque dubio *robur*, per caput verò Leoninum animi generositas intelligenda est, cum utrumque ad virtutem hanc requiratur.

E Sinarum porrò Philosophiâ Morali *Justitia* prodit, nostra tamen definitione neutiquam vestita; sed (docente *Mart. Lib.* III. *pag.* 82.) ita laxata, ut *omnem actionem rationi consentaneam* comprehendat. Hinc sicuti pietatem rationem sive modum benè *amandi*, sic *justitam* Legem & convenientiam rectè *agendi* definiunt. Frequentissimè insuper illud Legis Nat. compendium, *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, in ore & cala-

calamo *Confutius* habuit. Regiæ hujus Virtutis *fructum* ineffabilem, egregio exemplo è Sinarum Annal. petito demonſtrat *Author lib.* IV. *pag.* 115. ubi per juſtitiam & amorem Civium, *vitam Imperatori* ſervatam fuiſſe docetur. Propter eandem fructuum exuberantiam, olim *Euphratem*, fœcunditate reliquos fluvios ſuperantem, *juſtitiæ* Symbolum eſſe voluerunt; Imò plerique putant *Euphratem* ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν appellatum, quod nulla res magis quam æquitas & *Juſtitia* humanum genus lætitia perfundat, & hilaritate repleat. Quo pertinet illud R. *David.* ad Jeſ. III, 2. הזכות יש לה קרן ויש לה פירות : *Juſtitia habet ſortem capitalem & habet fructus.* De Virt. hujus *Hieroglyph.* vid. *Pier.* d. l.

Supereſt *Prudentia*, quam *Confutius* per *exactam Rituum & exemplorum cognitionem* definivit. Quæ à noſtrâ deſcriptione valdè diſſentiret, nî Sinicum

nicum illum Doctorem non tam nudam cognitionem, quam ex eâdem *vitæ anteactæ emendationem* intellexisse crederemus. Nihil certè aliud jucundus virtutum nexus innuit, ab eodem his verbis explicatus: *Prudentiâ* ritus omnes cognoscuntur, *Fortitudine* exercentur; *Pietate* nostri illis conjunguntur. Sinicæ hujus *Prudentiæ* exempla suppeditat *Martinius*, utpote Imp. *HIAOCHAI*, in tuendo innocente, *lib.* IX. *p.* 333. in reprimendâ seditione, *lib.* IX. *p.* 342. In Imp. Juvene *CHUMKANGO*, lib. II. p. 43. Prudentis autem esse *præterita noscere*, & *futura providere*, cum *Confutio* nostri quoque Philosophi asseruerê; hinc sunt qui *Bicipitium Jani* apud Romanos celeberrimum, ad virtutem illam referant, vid. *Pier.* Hierogl. passim. Et tanto quidem magis Prudentia Sinico sensu accepta necessaria est, quanto minus reliquæ virtutes, sine
eâ

eâ quicquam possunt, imò sæpius sine regulâ & mensura hâc in vitia facillimè degenerant.

Nec denique prætereundæ sunt *Quinquæ Virtutes* aliæ, de quibus integris voluminibus fusissimè & subtilissimè Sinarum Philosophi disputant, perpetuasque salutant. Illas verò non incongruè nostro loquendi genere *HOMILETICAS* nuncupare possumus, eò quod eleganter ipsi Sinæ eosdem *Prudentiæ* & Virtutibus reliquis veluti *pedissequas* adjungant, ne scil. sola (ut ipsi loquuntur) in astutiam vergat. *Prima* autem *Veritas* atque simplicitas est; altera *Urbanitas*; tertio laudant *beneficiorum memoriam*, gratique animi declarationem; Quarto loco *Benevolentiam* & *Amorem* ergà singulos tam bonos quam malos, amicos pariter ac inimicos celebrant. *Modestiæ* qq. specimina nobilissima Hist. Sin. exhibet. Notandum etiam illustre illud αὐταρκείας Sini-

Sinicæ exemplum, quod per mille & eo amplius annos, rerum pretium neque auctum neque imminutum ſit, nihilque de Imperio detractum. Non ineptè verò virtutibus illis IV. Cardinalibus, hæ veluti *pediſſequæ* à Sinis adjunguntur, v. g. *Pietati* Amor, Beneficiorum memoria, atque Benevolentia; *Juſtitiæ* Veritas & ſimplicitas, *Fortitudini* Modeſtia; *Prudentiæ* denique tum omnes atque ſingulæ; tùm præcipuè *Urbanitas.* E quibus omnibus pateſcit, quam egregiè *Philoſophia Moralis* inter Sinas huc uſque exculta fuerit, de quâ hoc capite ea qua potuimus brevitate diſſeruimus.

præprimis *Imperatore* laborant. Nec nugivenduli desunt *Magistri*, qui promissionibus miseros torquent, igniculisque illis oleum superaddunt, tanto Discipulis gratiores, quanto acriores stimulos falsis persuasionibus in eorum animis relinquunt, imò nec ipsorum etiam *Impostorum exitio* stolidi à præpostero illo *Immortalitatis* studio se revocari patiuntur, feliciorem successum sc. expectantes. Quod verò hæc res scientiæ mortalis facultatem atque limites longè excedat, nullâ ratione ut credant, possunt induci. Medicamentis etiam vitam producere conantur, quæ tamen potius eandem minuunt atque labefactant, *conf. Trig. lib.* 1. *cap.* 9. ubi prolixè istorum hominum insaniam describit. Subjungamus denique hâc de re verba *Jacobi Pantogiæ*, è lit. Jesuit. Sinens. anni 1607. edit. Mogunt. Duæ sunt egregiæ primariorum in Sinis

Sinis hominum delirationes, & ante alias exitiosæ. *Altera* est, quod studio suo mirificam quandam vitæ longitudinem se assequi posse confidunt, hujus artes mille excogitant, & medicamenta sumunt innumera, ad minuendam quam producendam vitam aptiora. Atque hujus dementiæ præcepta, & multis libris sunt prodita, & à Magistris hominibus minimè levibus aut egenis, explicantur, sunt qui se valdè Senes esse mentiuntur, ad quos veluti cælestes homines vulgi concursus fiunt, diu vivendi instituta, in quo suam fortunam verti credunt, ab iis discere cupientis. Nos ætatem nostram ex vero profitentes, non audiunt, suspicati nos dissumulare aliquot jam secula exegisse, & rationem tenere æternum vivendi, hujusque gratia nuptiis temperare. *Altera* deliratio posita est in contentione fingendi argenti, de quâ item arte

arte complures habent conſcriptos libros. Utuntur ad hoc herbis multis, & argento vivo, qua in re consumunt modicũ illud argentum quod habent, neque ſpem tamen ſuam unquam abjiciunt. Quod verò nec dum huic ſpei eventus reſponderit, id ex eo evenire jactant, quia nec dum ſua ſibi fors fortuna obtigerit, quam multi multorum annorum jejunio accerſere conantur. Utrumque verò quo Sinæ tenentur ſtudium, argenti videl. conficiendi, & poculi cujuſdam immortalitatis comparandi, à Saracenis Chemicis ad eoſdem perveniſſe, Magnus *Conringius* (de Hermet. Medic. c. XXVI.) exiſtimat. Conſtat certè, circa utrumque jam olim laborare ſolitos Alchymiſtas Saracenicos. Quin etiam quamplurimos Perſas hodienum in utroque hocce luto hærere, referunt Imperii illius itineraria noviſſima, ut propterèa veroſimile videatur,

deatur, à Saracenis ad Perſas pariter ac Sinas, ineptias illas fuiſſe propagatas. Vaniſſimam autem immortalitatis ſpem quod concernit, nunquam ſane ipſis *Sinenſibus* defuêre tales, qui è miſerorum cordibus & animis morbum hunc detergere laboraverint. Lepidam hâc de narratiunculam è *Sin. Annal.* ſubjungamus: *HIAOUUM Imp. Sin.* inſania hæc adeò corrupit, ut non ſine mortalis vitæ detrimento, vitam procuraret perpetuam. Poculum hunc in finem paraverat Impoſtorum ars, quo exhauſto *immortalis* fieret, ab amico v. & præfecto intimo rationibus etiam exquiſitiſſimis adduci non potuit, ut vel propinatoris fidem ſuſpectam haberet, vel â poculo penitus abſtineret, clam proinde idem illud arripuit & impigrè exhauſit. Excanduit Imperator, & ex ore minas ejiciens, de crudeli *mortis* genere inferendo conſilium

cum

cum reliquis inibat. Sed de *immortalitate* jam certus alter, intrepidè respondit: *Exhaustâ etiam æternæ vitæ medicinâ, vitam mihi eripi posse putas? Aut si potest, nonne fraude potius liberavi, quam immortalitate privavi?* Prudentiam hanc Rex admiratus, non acquievit solum, verum à conatu hoc deinceps prorsus abstinuit. De Imperatore alio ab Impostore quodam decepto, vid. *Martin. lib.* VIII. *p.* 310. 311. *Trig.* l. d. Ille addit *Sinas* ex *LAOZUI* cujusdam doctrinâ sibi prorsus persuasisse, immortalitatem in hâc vita medicamentis certis acquiri posse. Quin multos fingunt in montibus errantes, qui nunquam moriantur, & quasi Spirituales avolent, quocunque voluerint; imò in Cœlum usque cum libuerit adscendant. *HOANGTIUM* quoque Imperatorem celeberrimum nunquam fuisse mortuum tradunt, sed assumtum in consortium eorum, quos

quos *XINSIEN* vocant, eosque in jugis montium summis voluptatibus vacare fingunt, *immortalitate* donatos.

Longè salubriorem ac Veritati Christianæ convenientiorem sententiam foverent *Sinæ*, si *Animarum Immortalitatem* cum præmiis & pœnis futuris admitterent. Hanc iisdem attribuit *Jo. Hugo Linschotanus* Navig. c.XXIII. p.26. h. m. *IMMORTALITATEM ANIMARUM fide concipiunt, præmiaque bonorum & Malorum, inde sepulchrorum cura impensior.* Consentit Mendoza lib. 11. c. 6. his verbis: Animam de Cœlo originem suam habere dicunt, quod ipsi hoc dedit, ut *immortalis sit*, & quod quilibet qui secundum leges patrias vixerit, nullave injuriâ aliquem affecerit, in Cœlum allevari post mortem debeat; contra qui in flagitiis vitam exegerit, in consortio Diabolorum futurum. Verum senten-

tiam

tiam hanc paucissimis *Sinensibus*, & quidem *Idololatrarum hæresi* addictis, tantum attribuere possumus. Illam tamen *Indorum* alii, sive à residuo Naturæ fulgore, sive splendore Cœlestis revelationis illustrati, constanter admiserunt. De *Brasiliensibus* audiamus *Lerium*, Navig. Bras. c. XVI. Non modo *immortalitatem Animæ* credunt, sed pro certo quoque habent, post *Mortem* eorum *Animas*, qui virtutem coluerunt (quam suo more definiunt per vindictam de hostibus sumtam,) post altissimos montes evolantes, patrum & avorum suorum *Animis* aggregari, ibique in amœnissimis hortis, perpetuis deliciis ac tripudiis lætum ævum agere; Ignavorum contra manes, qui sine ulla propugnandæ Patriæ curâ inglorii vixerunt, abripi ab *Aygnan* (sic illi Diabolum vocant,) & cum eo sempiternos inter cruciatus vivere. Non procul ab hac opi-

nione *Essenos* olim fuisse alienos, testatur *Josephus lib.* 11. *cap.* 7. *de Bell. Jud.* quippe crediderunt *Bonorum Animas*, carnalibus vinculis relevatas, ultra *Oceanum* degere, ubi eis perfruitio reposita sit, & cum è tenuissimo adveniant æthere, quasi carceribus quibusdam, corporibus implicari, miro quodam amore naturali attractas. Posteaquam verò è carnis vinculis emissæ fuerint, quasi è diuturna servitute liberatæ, tunc eas gaudere, sublimesque ferri. E *Græcorum* autem placitis *Essenos* quædam arripuisse nemo non deprehendit, utpote qui apud *Laërtium* affirmarunt, ἄγεσθαι τὰς μὲν καθαρὰς ψυχὰς ἐπὶ τὸ ὕψιστον. & *Pythagoras* apud Poetam canit: *Morte carent Animæ.* Hinc *Thraces* quoque è *Zamolxidis* doctrinâ se ἀθανατίζοντες vocabant. Consentiunt porrò *Esseni* cum Græcis in eo, quod utrique Beatorum sedem *ultra Oceanum* repositam, locumque qui

qui neque pluviis, neque nivibus, neque æstibus gravetur, crediderint, quem lenis perpetuo Zephyrus flans recreet: Improbis verò Animis, tenebricosum & procellosum antrum suppliciis numquam cessaturis redundans, præfinierint. Sed ad *Indos*, & præprimis *Narsingenses*, qui teste *Osorio* Histor. lib. IV. *animum immortalem* credunt, *& post hanc vitam præmia bonis, improbis autem supplicia divino judicio constituta esse docent*. *Benzo*, (in Novâ Novi Orbis Hist. lib. III. c. 5. p. 29.) refert, *Peruanis Guainacavam* Regem suum, dum olim viveret adeò carum & venerabilem fuisse, ut eum hodie etiam lugeant, vulgoque persuasum habeant, illum *ad vitam* propediem revocatum iri, regni gubernacula suscepturum. Nec Animarum solum Immortalitatem eosdem (cum Barbaris *Cusco* urbis accolis) credidisse, verum etiam corporum resurrectionem ad-

 misisse,

misisse, confirmat *Lerius.* d.l.c.xvi. p.227. hoc exemplo: *Indi* cum animadverterent *Hispanos* sepulchra, ut auro, cæterisque pretiosis potirentur aperientes, ossa abjicere ac dispergere, rogabant ne ita dispergerentur, *ne illud RESURRECTIONI obesset:* illi enim (pergit) *corporum resurrectionem* ut *Animæ Immortalitatem* credunt. Scriptor alius affirmat gentem Barbaram & Ethnicam eò usque processisse, ut *resurrectionem* admitteret. *Persæ* insuper inter Indos habitantes, Animas hominum immortales statuunt, easque à corpore separatas, per ministrum Dei *Saroch* duci ad judices *Meeresum* & *Saros* ut actiones vitæ examinentur ad libram, nimirum in una lance positis bonis operibus, in altera malis: si illa præponderent, animas supremo Deo associari, ubi perpetuis gaudiis fruantur, (talibus videl. qualia in hâc vita homines magni æstimant,)

mant,) sin hæc, statim à Diabolis qui libræ adstant abripi in infernum, ubi sævo igne crucientur, dari tamen ex inferno hoc liberationem; etenim hunc Mundum post mille annos interiturum esse opinantur, aliumque novum creatum iri, quo tempore etiam animas ex inferno emittendas esse fingunt, atque in novum hunc Mundum deducendas. Nec minus *Japonios* Sinarum vicinos, doctrinam hanc à *XACA* & *AMIDA* traditam retinuisse, nuper persuasi sumus. Certa quippe & distincta loca in singulis Mundi partibus constituta admittunt, quorum incolæ lætam & felicem vitam agant, omnibusque bonis satiati sint. Qui insuper FOTOQUE Nomothetæ *Japonici* instituta observaverint, illis in terris triginta duabus figuris, & octoginta qualitatibus donari, quibus præditi in omnem æternitatem læti, felices, & suâ

ſorte contenti vivant. Docent porrò, eos qui prædictas FOTOQUE leges violaverint, quum ex hac vitâ præſenti migrent, in alia quædam inferorum loca delabi, quorum ſex numerant, ibique ſex pœnarum genera paſſuros, nec unquam in poſterum à cruciatibus illis & ſuppliciis liberandos eſſe. Ex omnibus v. Sectis quæ in Japoniâ vigent, una duntaxat animos mortales facit, & à cæterarum diſciplinarum ſtudioſis deterrima habetur, eo quod omnem diſciplinam abjiciat: tollat Paradiſum pariter ac infernum, ſeu beatam in vita futura bonorum ſedem, & ſempiternam damnatorum hominum pœnam. Sectæ hujus ſtudioſi, mortalium nequiſſimi flagitioſiſſimique ſunt, neque ullam inferorum mentionem ferre poſſunt. In *Epiſt. Indic.* p. 54. & 242. perhibetur eoſdem nec Spiritus admittere, neque quicquam credere, niſi quod
ſen-

ſenſibus percipiatur. Juxta *Caronium* ſtatuunt, hominem omnino non habere animam. Meliorem tamen illam atque veritati convenientiorem opinionem, etiam Idololatræ Inſulæ *Virginiæ* ſuperiori ſeculo inventæ, fovent. Audiamus de iiſdem *Thomam Hariotum* (Admir. Narrat. de commodis & ritib. *Incol. Virg.*) *Animæ* inquit *immortalitatem etiam credunt, eam ſtatim atque à corpore ſoluta eſt, transferri ſecundum opera quæ fecit, vel ad Deorum ſedes, perpetuâ felicitate fruituram, vel ad ingentem ſcrobem ſ. foſſam* (quam in extremis Mundi finibus, procul ab ipſis, verſus occidentem ſitis, eſſe cenſent,) *ad perpetuum ignem, eum locum ipſi Popoguſſo appellant.* De *Cochinchinenſibus* vid. *Ath. Kircher.* Tom. I. Oed. Ægypt. Syntagm. v. c. III. Priſcorum verò Philoſophorum, & Gentilium reliquorum vetuſtiſſimas de vitâ futurâ & *Animarum Immortalitate* ſententias,

ex aliorum scriniis compilare noluimus. Solâ sufficiat *Vossii* ratio, quæ hanc ab illis admissam fuisse evincit: *Non enim* (inquit *lib.* I. *Theol. Gent.* c.V.) *persuaderi cuiquam potuisset cultus, nisi qui putaret animas à morte superesse.* Quid verò saniores *Philosophi* de immortalitate animæ senserint, patet ex *Platone*, in *Phædone*, *Phædro*, *Timæo*, *Philebo* & aliis, tum *Platonicis* & *Pythagoreis*, *Plotino*, *Jamblicho*, *Porphyrio*, *Proclo*, *Apulejo*, &c. tum Stoicis, *Seneca*, *Epicteto*, *Philostrato* de vit. *Apollonii* lib. 8. cap. 13. nec non *Plutarcho* lib. IV. de placit. Philos. tum denique Theologis, *Tertull.* lib. de Animâ, c. 54. *August.* de Civ. D. lib. XII. c. 26. *Lactantio* lib. VII. c. 8. & 12. *Euseb.* Præpar. Evang. lib. I. cap. 4. & *Clem. Alexandr.* III. Strom. Consensum quoque Gentium in dogmate de Immort. Anim. & vit. fut. producunt *Mornæus*, de Verit. Rel. Christ. c. 15. *G. Calixtus* de

de Immort. Anim. c. I. *Cl. Dilherrus*, p. II. Disp. XIX. & *El. Schedius* de DIIS Germ. Syngr. II. c. XLVII. In specie verò de *Getis* vid. *Herod.* lib. IV. & de *Ægypt.* Diod. Sicul. lib. I. Bibl. Hist. n. 93. Apud hos verò Immortalitatis & *Æternitatis* Hieroglyphicum *Luna* habebatur, propterea quod cum defecisse videtur, nova iterum fit, sæpiusque in anno juvenescit. In *Numis* etiam aliquot *Severi Alex. Augusti*, simulachrum videre est, quod dextra novam Lunam attollit in sublime, additâ inscriptione: PERPETUITATI *AUG.* & in *Faustinæ* Numis, cum aviculâ & luna extat *ÆTERNITAS.* E monumentis denique & *Inscriptionibus* infinita Testimonia adduci possint, *Augustæ* solum VIII. observavi, in quibus PERPETUÆ SECURITATIS mentio fit. Illas V. cum Antiquitatibus aliis edidit, & pererudito Commentario illustravit, Rei Lite-

rariæ Auguſtus, & Duumvir Augu-
ſtanus *M. Welſerus.* Alibi inventas
collegit *J. Gruterus*; in ſtupendo
Inſcriptionum Opere paſſim, reli-
quas ab eodem prætermiſſas, pro-
pediem exhibebit eruditiſſimis ſuis
ad Inſcriptiones Antiquas Com-
mentariis, *declinantis Philologiæ heſpe-
rus Thomas Reineſius.*

Cum verò inter extrema febrien-
tium deliria, nulla Mundo peſtilen-
tior inſederit opinio, divulgatiſſimâ
illâ ΜΕΤΕΜΨΥΧΩΣΕΙ; hoc quoque
Impietatis fonte *SINARUM* terra
inundata, & ſaluberrima de *Anima-
rum Immortalitate* doctrina, ut apud
alias quam plurimas Gentes corru-
pta atque vitiata deprehenditur. *Qui
Sapientiores inter eos habentur*, (verba
ſunt *Petri Jarrici*, Tom. II. Rerum
Indic. p. 663.) *Pythagoræ ferè ſomnia de
Tranſmigratione Animarum ſequuntur.*
Hinc plurimi ac præſertim pauper-
culi, voluntario deos placant je-
junio,

junio, ut in illustriori familiâ nasci concedant. Eandem ob causam à parentum morte nullum mactant animal, ne in tale forsan *anima* eorum transierit. Idem confirmat, *Mendoza* lib. 11. c. 6. h. m. Plebs credit quod *Animæ* quæ male vixerunt priusquam in infernum damnentur, ob malefacta sua in *bruta* pecora commigrent, contra Bonorum animas in corpora Regum & Magnorum Dominorum transire, quibuscum magna lætitia agant. Si verò Sectarum *Sinicarum* instituta accuratius perpendantur, apparebit, dogma illud non nisi *hæreseos Idololatricæ* studiosis attribuendũ esse. Quâ ratione vero quaque occasione *Transmigratio* illa ad extremum usque Orientis terminum *migraverit*, nunc porrò dispiciendum erit. Ab *Arabibus*, seu Muhamedanis eandem (ut quam plurima alia) provenisse, facilè aliquis suspicari posset; Illi enim (asse-

rente *Scharestanio*) μετεμψύχωσιν quandam credebant; scil. cum quis occideretur vel moreretur, è sanguine collecto oriri avem *HAMAH* dictam, quæ singulis subinde annorum centuriis ipsius sepulchrum viseret; vel ut *Aljau harius*, *Ebnol Athir*, & *Aldamirius* eorum sententiam referunt, Spiritum seu *Animam* injuriâ interfecti, in *avem* istam transmigrare, eamque altâ voce clamare: *Bibendum mihi præbete!* (scil. sanguinem ejus qui me interfecit, clamandoque instare, donec de homicida vindicta sumeretur, tum demum avolare. Juxta nonnullos credi hoc vetuit *Mohammedes*, præcipiens: *Ne credatur à vobis HAMAH, nec Advva, &c.* Alii verò) annotante *Cl. Pocokio*, (Specim. Histor. Arab. p. 136.) hoc dicto vetari volunt illum antiquorum *Arabum* morem, quo noctuam (*Alhamah* dictam,) ut mali ominis nuntiam aversabantur. Admissam certè à

tè à *Mohamede* fuiſſe *μετεμψύχωσιν*, ex *Avicenna* (Lib. 11. de *Alm chad* ſeu condit. Anim. poſt hanc vit.) patet, ubi expreſſè ſcribit, illum animalia progredientia ſuper terram & aves, *turbam copioſam hominibus ſimilem* nuncupaſſe, animarumque *communicationem* ſtatuiſſe. Atque quod in illius *Turcarum* Principis *Alcorano* poſitum eſt, non prius animarum humanarum in nova corpora tranſitum finē eſſe habiturum, quam ſi Camelus per foramen acus penetrare poſſit, (juxta eund.) nonnulli ita explicant: *Animam* hominis vitioſi non prius gratiſſimâ quiete frui poſſe, quam per varia corpora jactata, à camelo tranſierit in eum vermem, qui corporis ſui tenuitate *foramen acus* poſſit penetrare. Nec deſunt qui *Turcas* Animarum in beſtias tranſitum ſtatuere, partim ex Epiſt. III. *Aug. Giſl. Buſbequii* de Rebus Turc: partim ex amore, quo Felem

Maho-

Mahomedes eſt proſecutus, probare conantur, verum beneficia ac honores brutis animalibus collati, ex alio etiam errore traxerunt originem. *Muhamedes* enim referente *Claudio Alberio* (Orat. Apod. de Reſur.) *Alpharc.* xx. & in Libro *Teſcherè Elimam*, *Beſtiarum Reſurrectionem* fidei caput conſtituit.

Neutiquam verò ab *Arabibus* Sinicum illum errorem proveniſſe; verum *XACA* quodam Philoſopho Indico, (Idololatricæ hæreſeos fundatore,) ad Sinas derivatum fuiſſe, nulla probatione opus habet. Hunc Idololatriæ pariter ac *Tranſmigrationis* authorem nuncupat *Martinius*. Ab eodem etiam *Japponii* Sinarum contermini, ſententiam illam acceperunt; ſtatuunt enim *animas humanas* (donec ad felicitatem & ſalutem perveniant) per ſex diſtinctas vias curſitare, & aliquando Dæmonum, aliquando belluarum, aliquando hominum

minum formas induere. *Hominum Animi* (inquit *Bonzius Japponicus* apud Turfel.lib.IV. c.13. de vita Xaver.) *quippe immortales, in alia ex aliis deinceps migrant corpora, tum marium, tum fœminarum, pro Lunæ cum Sole annorumque conjunctione, quæ tenera corporum membra fingit firmatque, proin mentes quæ valent memoria (cujusmodi mea est) facilè reminiscuntur omniũ quæcunque in vita gesserint, cum alia corpora animarent, obliviosâ autem non item.* Nec prolixè dispiciendum est, unde *XACA* ille errorem hunc acceperit, cum neminem fermè lateat *Brachmanes* Indorum Philosophos (qualis ipse etiam *XACA* fuit,) jam olim ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ, *animorumque in muta animantia* præcipuè Boves *transitum* admisisse. *Tartari* quoque (ref. *Joh. Conf. Mendoza* lib.I. c.I.) credunt unam eandemque animam corporibus variis immitti, ita tamen ut habita anteactæ vitæ ratione

sem-

ſemper domicilia ſive abjecta ſive ſplendida diſtribuantur. Et hodienum *Baneanes* Sapientes Indici, non ab animalibus tantum, ſed & alliis, vino, napis, omnibuſque rubro colore infectis, ex eodem errore abſtinent, non ſecus ac *Sinenſes*, quorum plurimi (ref. *Martinio*, præfat. Atl. Sin. pag. 4.) carnium eſum intermittunt. Quanquam Lex illa à nonnullis Sacerdotibus Sinicis ridicula atque inepta appelletur, *annot. eod.* pag. 8. De *Monopotaparum* Rege audiamus *Sacchinum* (lib. v. Hiſt. Soc. Jeſ.) Viciſſim è *Conſalvo* ſciſcitatur, quantum auri, quantum agri & prædiornm velit; poſtremò quam multos boves, quippe *bobus* apud eam gentem haud minus quam auro pretium eſſe ferunt; quod *Animas defunctorum ex Pythagoræ & Brachmanum diſciplinâ in boves credant tranſmigrare.* Idem confirmat *Maffejus* lib. I. Rer. Indic. Elephantis (ait) etiam Reli-
gionem

gionem Numinis tribuunt; Bobus autem eò majorem, *quod hominum vitâ functorum animas in eam maximè belluam immigrare opinantur.* In Regno *Mogor* (perhib. *N. Longobardo*, Epist. de ejusd. Stat. p. 72.) omnes ferè admittunt *Animarum transmigrationem.* De *Cochinchinensibus* παλιγγενεσίαν credentibus vid. *Ath. Kircherum*, Tom. I. Oed. Ægyptiaci, Syntagm. V. cap. 3. & de *Benjanis Jo. Alb. Mandelslohe* (Itin. Orient. German. oper. *Ad. Olearii*, edit. lib. 1. c. 37.) Quamplurimi etiam Indorum populi, (referente *Texeira* Lusitano) credunt animas aut præmium aut pœnam consequi per transmigrationem in alia corpora. Atque hæc causa est cur vaccas etiam tantopere venerentur, & legislator illorum *Ramak* illas ipsis unicè commendaverit, quas tanquam Numina colunt, quia sint animalia domestica, utilia & si benè tractentur

(juxta

(juxta illos) *ad bonas animas recipiendas* comparata. Denique Secta quædam Indorum peculiaris, *Samaraeth* nuncupata (perhibente *Jo. à Twist.* Descript. Ind. Belgicè adornatâ) fabulatur, mortui Hominis Animam ad secretarium supremi Dei *Parmiseer* accedere, ad rationem reddendam omnium quæ in vita egerit, atque hæc annotata afferri Deo Parmiseer ad sententiam ferendam, qui inspectis illis, jubeat animas hasce in hominum vel brutorum & quidem mansuetorum vel ferorum corpora, pro transactæ vitæ ratione migrare, nimirum ut à peccatis omnibus repurgentur. Atque hanc transmigrationem toties repeti arbitrantur, donec animæ illæ puræ sint à vitiorum sordibus. Tunc enim à summo Numine non amplius ablegari eas, sed in ministrorum seu Angelorum cœtum assumi docent.

Hujus verò absurdæ persuasionis pesti-

pestilens sidus, non *Indicum* solum; verum universum propemodum *Terrarum Orbem* afflavit, adeò, ut probè alias excultarum gentium animos, erroris illius velamine obductos deprehendamus. Operæ igitur pretium erit, monstri illius detestandi *incunabula* repetere, & observatâ temporum serie, originem pariter ac progressum per singulos Philosophantium ordines exhibere, præsertim cum appareat, certissimam de *immortalitate animarum* doctrinam, successu temporis tenebris hisce involutam fuisse. *Ægyptum* verò omnium primò hâc lue infectam narrat *Herodotus* in *Euterpe*. Hæc cum alia multa doctrinæ salutiferæ capita à *Josepho* (judice *Scaligero* lib. 1. ad *Manil.*) accepisset, *animorum* quoque *immortalitatem* didicit, quæ tamen mox in pestiferum μετεμψυχώσεως monstrum, à monstrosis ingeniis degeneravit. Non aliunde certè

pro-

prodigiosa illa *Ægyptiorum* Ζωολατρεία (canum videl. Accipitrum, felium &c.) suam traxit originem, quam ex hâc malorum & errorum tantum non omnium sentinâ, quod etiam observat, & egregiè demonstrat *Ath. Kircherus* Oed. Ægypt. Tom. III. Syntagm. XIII. cap. I. Hinc asseruerunt *Osiridis* animam Taurum petiisse, refer. *Diodoro* Siculo lib. I. Bibl. p.26. Imò *Scarabæum* quoque hoc nomine Ægyptiis sacrum fuisse, veritati consentaneum est. Huc pertinet historiola illa, quam *Centir Arabs* (in libro de *Servit. Terræ*) de quodam Persâ & Ægyptio iter facientibus annotavit, h. m. Persa dum Scarabæum Ægyptiis sacrum, lutoso opificio per semitam occupatum, fortè calcasset; Ægyptius calamitosum casum intuitus, manibus in Cœlum extensis, omnia Numina ab hoc se scelere immunem esse protestabatur; Persâ

verò,

verò, quid sibi protestatio illa vellet rogante; *Neque Tu*, inquit Ægyptius, *Vindictam Deorum, ob sacram & vivam Magni Osiridis imaginem in Scarabæo habitantem, temere & indignè tractatam formidas?* Aliam de Rege quodam Ægyptio in formâ *Leonis* circumeunte narrationem habet *Kircherus l.d. Synt.* XIII. c. I. conf. Prodr. Copt. cap. ultim.

Ab *Ægyptiis* itaque propinatum venenum hausisse *PYTHAGORAM*, Diodorus (lib. I. p. 88.) author est; ut proinde probabile videatur, *Herodotum* per Græcos illos, qui dogma hoc ab *Ægyptiis* acceperint, & quasi proprium posteà tradiderint, non alios quam *Pythagoreos* intellexisse. Idem approbat *G. J. Vossius, de Sect. Philos. c.* VI. De hâc verò opinione *Pythagoricâ* certiores redderemur, si extarent adhuc illi qui Doctrinam *Pythagoræ* datâ operâ olim conscripserunt, utpote *Philolaus*,

laus, *Aristoxenus*, *Aristoteles*, (non Stagir.) *Heraclides*, *Androcydes*, *Antiphanes*, *Neanthes & Alexander*. De quibus vid. *Cl. Jonsius* lib. 11. (de Script. *Histor. Philos.*) cap. 6. & alibi passim. Illi tamen qui adhuc supersunt, dubitare nos neutiquam sinunt, proprium quasi *Pythagoræ* dogma μετεμψύχωσιν illam fuisse, confer. vita *Pythagoræ* à *Laërtio*, *Malcho*, & *Jamblicho* descripta, nec non de eadem *Cicero* & *Plutarchus* passim, ex Poëtis *Horatius*, lib. 1. od. 28. *Ovid*. xv. Metam. & *Ausonius* Epigr. in Marc. B. etiam *Augustinus*, cum *Pythagoram* impensius laudasset, (lib. 11. de Ord.) vel hoc solo nomine Retract. 1. se correxit: Nec illud placet, quod Pythagoræ Philosopho tantum laudis dedi, ut qui hanc vel legit vel audit, possit putare, me credidisse, nullos errores in *Pythagoricâ doctrinâ* esse, cum sint plures, iidemque capitales, è quibus præprimis με-

μετεμψύχωσιν, *μετενσωματώσιν*, & *παλιγγενεσίαν* (seu ut *Tertullianus* reddit Recidivatum Animæ) fuisse, dubium non est. Hunc verò ut eo facilius suis *Pythagoras* persuaderet, (refer. eod. lib. de Anim.) mortem simulavit; & sub Terra septennio latitavit, deinde quasi ex inferis excitatus, hæc de mortuis enarravit; se ipsum quidem primò *Euphorbum* fuisse, postea *Pyrandrum*, tum *Callicleam*, denique *meretricem* pulchra facie, cui nomen fuerit *Alce*. conf. *A. Gellius* lib. IV. Noct. Attic. c. XI. Sententiæ tamen huic de Animarum migratione certè repugnat ficta illa *mortuorum congregatio* in Terræ motu, quam *Pythagoras* alibi docuit, nisi fortè per mortuos *malos genios* ille intellexerit. Egregiè verò errorem illum perstringit *Hermias Philos. Christ.* (in Gentil. Philos. irrisione) & *Lucianus* mendaciorum pariter ac veritatis irrisor in *vit. Auct. & in somn. sive Gallo.*

De

De eodem plura annotavit *Athan. Kircherus* Tom. II. Oed. Ægypt. Claſſ. XII. cap. 7. & *Voſſius* lib. I. *Theol. Gentil.* c. X. & de *Sect. Philoſ.* c. 6. ubi ſuperſtitioſam ab eſu carniũ abſtinentiam ex eadem opinione derivat. conf. *Theol. Gent.* l. III. p. 944. & *Camerar.* Hor. Subciſ. p. I. c. 97. Ridiculum verò illud dicterium: Par eſſe ſcelus comedere fabas & capita parentum; quod *Pythagoræ* non ſolum *Lucianus* verum *Chryſoſtomus* homil. I. in Joh. & *Clem. Alex.* lib. III. ſtrom. tribuerunt, non ut quidam exiſtimat *ænigmaticè* ſeu Symbolicè intelligendum eſſe, ſed à *mortuorum Animis in fabis habitari creditis* proveniſſe exiſtimamus, à *Laërtio* præprimis perſuaſi, qui in vit. Pythag. id ipſum ſeq. narratiuncula comprobat; Illum ſcil. cum percuſſores fugeret, in arvum *fabis* conſitum incidiſſe, tutumque exitum obtinere potuiſſe, ſi in eam ſegetem ſe immi-

immisisset, verum ab Inimicis potius trucidari, quam fabas *ANIMARUM CONCEPTACULA* conculcare voluisse. Sunt tamen nonnulli qui nomine κυάμου *OVUM* Pythagoram intellexisse putent, quod in eo sit ἡ τῶν ζώων κύησις *animalium fœtura*. Eandem tamen superstitionem hodienum etiam inter Indiæ quosdam Populos *Benjanos* vigere, persuademur à *Jo. Alberto de Mandelslohe*, (lib. 1. Itin. Germ. c. 7.) ubi narrat sepulchrum Viri cujusdam magnæ apud *Indos* existimationis, *Fabis Turcicis* ornatum fuisse, hoc neutiquam fortuitò accidisse; verum ex eâdem opinione *Pythagoricâ* originem suam traxisse in præf. *Cl. Olearius* ostendit. Tritum autem illum de fabarum esu versiculum:

Δειλοί πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.

Ter miseri nolite fabas attingere Dextris;

Empedocli potius quam *Pythagoræ* attribuendum esse non nemo probare

conatur ex eo, quod apud *Gell.* lib. IV. c. II. eidem assignetur. Nihil tamen prohibet quo minus *Empedocles* illum, à Præceptore acceptum, retinere potuerit, præprimis cum manifestum sit, illum quoque μετεμψυχώσεως dogma admisisse, utpote qui prius se puellam & puerum, & fruticem, & avem, & piscem fuisse cecinit, eoque insaniæ progressus, ut cum asinum rudentem audisset; se in illo *latitantem amici cujusdam animam* scire, à quâ cognitus atque compellatus fuerit, ut *Schol. Eurip.* narrat. E discipulis verò Pythagoricis opinionem hanc rursus deseruit *Timæus Locrus*; not. *Vossio*, lib. III. Theol.Gent. p.944. *Zamolxin* (quem Græci,ut Herod. in Melp.IV. testatur, *Pythagoræ* famulum nuncupant,) eandem docuisse *Getas*, ex *Julian.*in Cæsar. non nemo probare conatur,sed Julianus neutiquā affirmavit *Zamolxin migrationem animæ* Getas do-

docuisse, sed tantum quod *morte non interirent*, verum aliò migrarent, nempe ut *Herodotus* habet εἰς χῶρον τοῦτον, ἵνα ἀεὶ περιεόντες ἕξουσι τὰ πάντα ἀγαθά· *in ejusmodi locum, ubi semper superstites omnia haberent bona.* DRUIDAS verò in *Galliis* μετεμψύχωσιν arripuisse, refert *Cæsar* in *sexto.* Quod *Druidarum* dogma quasdam esse reliquias traditionis, à primis Noachidis acceptæ, de corporum resurrectione, & alterâ vitâ, veritati maximè consentaneum est, cui conjecturæ nullatenus repugnant illi, qui doctrinam de *immortalitate animarum* iisdem attribuunt, nec non si ex eorum mente

> ——— *Regit idem Spiritus artus*
> *Orbe alio* ———

ut *Lucanus* ait in primo; nihil enim prohibet, quo minus vivida hæc cœlestis doctrinæ puritas, temporis successu, turpit[illegible] adeò corrupta dicatur. Sed apud CELTAS quoque

invaluit, *animas* hominum *immortales, aliud corpus invadere*, ac definito tempore denuo vitam capeſſere. Ex quo ad virtutem maximè, metu mortis neglecto, *Druidæ Celtas* excitarunt, hinc *Diod. Siculus* refert, *Gallos* inter ipſas epulas causâ ex jurgio quomodocunque arreptâ inſurgere, & ex provocatione, nihili vitæ jacturam æſtimantes, inter ſe digladiari, *Pythagoræ enim apud illos opinionem invaluiſſe, quòd Animæ hominum immortales, in alio corpore definito tempore vitam capeſſant.* Ex eodem forte errore manavit, quod refer. eod. *Diodoro* (paulo poſt) inter ipſos reperiantur, qui adeò mortem contemnant, ut nudi ac ſubligaculis tantum recincti, pugnæ diſcrimen adierint, ſcil. ut *Lucanus* d. l. ſubjungit:

——— ruendi
in ferrum mens prona viris, animaque capaces

Mor-

Mortis: & ignavum est reditura parcere vitæ.

Et nescio sane an non hæc ipsa vitæ recuperandæ spes, *Germanos* olim ad tantum mortis contemptum adegerit, ut refer. *Egesippo* l. 11. tàm magnitudine corporis, quàm *contemptu mortis* reliquas Gentes antecesserint. Et *Tacitus* eorum levitatem exprimens ait: *Pedites & mißilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Ariovistus* etiam cum *Germanis* apud *Appianum* (c. I. de Bello Celt.) dicuntur θανάτου καταφρονηταὶ δι' ἐλπίδα ΑΝΑΒΙΩΣΕΩΣ, nisi forte per ἀναβίωσιν *resurrectio in altera vita* intelligatur.

Cum verò (annotante *Scaligero*) lateritia *Pythagoræ* scripta, à *PLATONE* aurea sint reddita; huic quoque luto splendorem ille conciliavit. Quanquam animas purgatissimas inter Deos versari censuerit, impurasque inter sepulchra revolvi,

nihilominus ipſam *μετεμψύχωσιν* in *Menone* neutiquam improbat: *φασὶ γὰρ τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου εἶναι ἀθάνατον, καὶ τότε μὲν τελευτᾶν, ὃ δὴ ἀποθνήσκειν καλοῦσι, τότε δὲ πάλιν γίνεσθαι, ἀπόλλυσθαι δ' οὐδέποτε· δεῖν δὴ διὰ ταῦτα ὡς ὁσιώτατα διαβιῶναι τὸν βίον*, &c. i. e. *Ajunt enim homini animam immortalem eſſe, at tunc quidem decedere, cum mori appellatur, atque iterum redire, interire verò & extingui nunquam, quare vita eſt quam ſanctiſſimè tranſigenda.* Ejuſdem farinæ alia in *Phædone* reperiuntur, quæ *B. Irenæum* eò permoverunt, ut Platonem primum ſententiæ hujus authorem crediderit. Et *B. Auguſtinus* lib. x. de Civ. Dei, c. 30. ait *certiſſimum eſſe, Platonem ſcripſiſſe Animas hominum poſt mortem revolui uſque ad corpora beſtiarum*, addit tamen opinionem illam *Porphyrio* diſplicuiſſe, puduit ſcil. illud credere, ne mater fortaſſe filium, in mulam revoluta vectaret, ad quæ verba *Ludovicus Vives*: *Plato*

Pytha-

Pythagoræ opinionem secutus, *animas post mortem in corpora redire existimavit*, sic in *Timæo*, sic in extremo de *Republ.* sic in *Phædro* scribit. In hoc verò *Legem Adrastiæ* refert, quâ jubetur, ut quæcunque anima Deum secuta, aliquid veri inspexerit, ea sine ulla pœnâ ad circum alterum pervadat, quod si in illo idem fecerit, vacet quoque pœnâ semper beata, si semper sic faciat, quod si verum non fuerit secuta, & casu pressa pœnas obtinuerit, *in corpus* abeat; his gradibus quæ plurima viderit, *philosophum* induat, hinc proxima legitimum *Regem* aut Imperatorem, ac strenuum Virum, ex tertio Ordine fiant *Magistratus* in Rep. & Patres familias, ex quarto *Aliptæ & Medici*, ex quinto *Vates* & *Mystæ*, de sexto *Poetæ*, de septimo *opifices* & *Agricolæ*, ex octavo *Sophistæ* & *aurarii*; ex nono *Tyranni*. Sic poficisci animas in vitam: quam qui rectè trans-

transſegerit, eum ad meliorem conditionem remigrare, qui inique ad pejorem, in eum verò locum unde quæque anima diſceſſerat, *annis* x. *millibus* non redire, nam alas confractas ante id tempus non recuperare, præter illius animam, qui ſimpliciter & ſine dolo philoſophatus ſit, huic enim ſi ter ad eum vixerit modum *ter millenos* annos ſufficere. Nec minus *Platonis* aſſeclæ crediderunt, eâdem *Adraſtiæ Lege* pronunciatum eſſe, ut futuris circuitibus rependatur unicuique pro ratione & meritis vitæ prioris, ut qui injuſtè dominabatur, vita aliâ in ſervilem relabatur ſtatum, qui manus ſanguine polluerit, talionem ſubire cogatur; qui beſtialem vixerit vitam, *in brutale corpus revolutus præcipitetur.* Audiamus *Plotinum* (è lib. de proprio cujuſque Dæmone,) *Quicunque proprietatem ſervaverit humanam, homines iterum naſcuntur, quicunque verò ſolo uſi fuerint*

fuerint ſenſu, in bruta animalia redeunt, ita tamen, ut qui ſenſu præcipuè una cum irâ, animalia fera exoriuntur: quicunque autem ſenſu per concupiſcentiam voluptatemque utantur, ſalacia & ingluvioſa animalia revertantur; Verum ſi non tam ſenſu, una cum his, quam ſenſus degeneratione vixerint, una cum ipſis Plantæ repullant, &c. Qui verò civilem vitam conſecutus eſt, homo revertitur. Eodem prorſus modo, quo ipſo *Plato* in Timæo adſerit, Viros injuſtos *tranſire* in mulieres, θεωρητικοὺς qui in contemplatione hærent, mutari in *aves*, contemptores Philoſophiæ in *pecudes*, homines terrenis deditos in *piſces*, ſcil. juxta prioris vitæ mores & inſtitutionem. Diſceptant tamen interpretes Platonici: an anima ita aliquando ad ſuum aſtrum redeat, unde deſumta eſt, ut ibi æternum ſit beata; an verò *infinitis revolutionibus ad corpus deſcendat, & è corpore alio migret?* Nec deſunt, qui con-

cinnâ quâdam interpretatione *Platonis* placita sic emollire conantur, ut ἀλληγορικῶς saltem ea accipienda esse contendant. Hinc *Marsilius Ficinus* omnibus modis *Platonem* ab hujus dogmatis infamia liberare, solumque *Plotinū* hoc stigmate notare conatur. Alii verò etsi *Pythagoræ & Trismegisto* pariter ac *Platoni* sententiam illam attribuant, neutiquam tamen corporum brutalium à rationali anima informationem adsertam fuisse credunt; sed quod juxta *Platonem* formæ essentiales corpora veluti carcerem inhabitaverint, aut circa illa alligatæ fuerint, (ut Ixion fortè ad serpentum rotas, Sysiphus ad Saxum,) aut denique per indistantiam localem iisdem adstiterint.

Eodem in luto olim *Romanos* Platonicorum Discipulos hæsisse, atque hunc de Animarum transmigratione ineptum pariter ac stolidum errorem, etiam cum multis

aliis

aliis ab iisdem accepisse, dubium nullum est, juxta Ovid. xv. Metam. seqq.

Morte carent animæ; semperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque recepta;
Omnia mutantur, nihil interit, errat & illinc,
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, èque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit illo.

Conf. *Horat.* lib. II. Carm. Od. 20. *Tibull.* lib. IV. & *Maronem* lib. VI. Æneid. Hinc Romani etiam inter funesta *Fabam* recensuerunt, neque *Diali* eam attingere, neque nominare permiserunt, cum ad *Mortuos* illam pertinere putaverint, quo de vid. *Pier.* Hierogl. lib. LVII. c. 5. *Et Julianus Apostata* (annotante *Socrate*

lib.III. Hist. Eccles. c.21.) non solum *Animæ recidivatum* credidit, verum *Alexandri M.* Spiritum se habere existimavit, exindeque maxima etiam pericula intrepidè adiit.

Ast, non solum obscuriores Naturæ scintillas, verum *revelati* etiam *Luminis* splendorem *Tenebris* hisce involutum deprehendimus. Disertè enim *Josephus* lib.II. de Bello Jud. c.7. circa fin. ait, *Pharisæos* etiam docuisse *transire in alia corpora solas bonorum Animas*, improborum verò interminabili supplicio cruciari. Atque hæc opinio inter Iudæos olim vulgatissima fuit, eamque amplexi plurimi, tùm ex *Judæorum Sapientibus*, tum ex *Rabbinis* vel Theologis. Etsi verò μετώδωσιν illam animarum olim non omnium sed bonarum saltem intellexerint, recentiores tamen eandem *etiam ad impios* extenderunt. Quibuscum *Menasse Ben Israël* non modo in libris de *Resurr.* (præsertim

ſertim. lib. 11. c. 16.) ſed in ipſo quoque *Conciliatore* (quæſt. 43. in Gen.) facit. Unde quum dicitur צדיק ורע לו *juſtus malis involvitur*, ait p. 66. *Concil. poſſe bonum improſperis uti rebus, ob delicta, quæ non in iſto, ſed alio corpore anima commiſerit,* quo loco etiam conſenſum gentilium producit. Et *Elias* Germanus apud *Chr. Gerſonem* in *Talm.* p. 1. c. 31. impiorum exemplum ponit, *Labanis* ſcilicet *Bileami* & *Cuſchan*, quorum una fuerit anima; & inter cauſas tranſmigrationis tertiam facit *Menaſſes de Reſurr. Mort.* p. 215. impios concernentem, *ut caſtigentur, & à peccatis ac vitiis iſtis purgentur*, quæ in priori corpore commiſerant. Notum quoque eſt modernorum *Judæorum* סוד הגלגול ſ. *Secretum Revolutionis*, per quod anima *Adami* in *Davidem* migraverit, Davidis autem *in Meſſiam*, idque literis nominis אדם confirmari tradunt; conf. *Men. ben Iſraël de Reſurr.*

surr. p. 252. & 253. In libro *Zohar* narratur *Hadriani Imp.* ævo decem Rabbinos, in quos (ut dicebant) per μεἰεμψύχωσιν, animæ *decem fratrum Josephi* migraverint, ob plagium olim commissum capite plexos fuisse: Dignum certè pat[illegible]lâ operculum! In *Bruta* verò animas præcipitari Hebræorum *Cabbalistæ* nullatenus admittunt; quæ tamen penitus rationem excusserint, brutali affectui imaginationique in alia vitâ relinqui non diffitentur, nec præter *tertiam revolutionem* ullam concedunt, eò quod numerus hic purgationi peccatorum abunde sufficere videatur. Ab errore vero hoc neutiquam provenisse existimamus, quod Herodes putarit Jo. Baptistam, quem truncarat, in Christo revixisse, (ut nonnulli è Matth. XIV. 2.) prorsus in congruè colligunt. Quomodo enim hoc *Herodes* sibi persuadere potuit de eo, quem non amplius

infan-

infantem, sed maturæ ætatis virum sciret? De μετεμψυχώσει verò Ebraïcâ vid. *Jo. Drusius* lib. I. de Sectis p. 90. *Nicol. Serarius*, Trihæres. lib. II. c. 3. n. 3. *Athan. Kircherus* Tom. III. Oed. Ægypt. Synt. XIII. c. I. *G. J. Vossius* Theol. G. l. I. c. 10. *Jo. Hornbeek* de Convinc. Jud. lib. VIII. c. 3. *G. Hornius* ad Sulp. Sev. lib. I. p. 51. *Theod. Hacspan*, de usu Script. Rabbin. in Theol. p. 251. *P. Slevogtus*, Dispp. Acad. XII. Pract. de Metempſ. Ebr. Camer. Hor. Subc. p. I. c. 97. *J. Micrælius* Ethnophron. lib. I. Dial. IV. *El. Schedius*, de Dis Germ. p. 312. & *Sebaldus Snellius* contra *Jſ. Abrav.* glossemata ad c. XXXIV. Ef. num. 102.

Ultra sepes deniq; Ecclesiæ Christianæ *Transmigratio* illa migravit eque Christianis nonnullos seduxit, *Originem* eandem admisisse libri περὶ ἀρχ. testantur. *Manichæi* ut ex *Augustino* liquet, *resurrectionem carnis negantes*, μετεμψύχωσιν *substituebant*, vid ejusd. tract.

tract. ad quod vult Deum, & *Epiphanium* hæres. 66. *Camer.* p. 1. c. 97. Hor. Subcis.

Infamem autem hanc apud tam varias Gentes de *Animarum transitu* positionem, plurimi concinnâ quâdam explicatione sic emollire laborarunt, ut ἀλληγορικῶς sensuque longè alio illa omnia dicta fuisse credant. *Joh. Reuchlinus* (Art. *Cabbal.* lib. II.) affirmare non dubitat, *Pythagoram*) dum animam timidi subire fœminam, crudelis feram, libidinosi suem, levis avem, pigri piscem, ob morum videlicet similitudinem docuerit,) *non verè ita sensisse, sed ut pueros solent mendaciolis, sic stultum vulgus ejusmodi fabellis à vitiis deterrere voluisse.* Sunt quoque nonnulli qui μετεμψύχωσιν, nonnisi *ex hominum ferinâ sæviendi rabie*, ut & omnigenâ malè vivendi libidine prorsus *bruta* natam opinantur, è quorum numero etiam est *Cœlius Rhodiginus*, lib. x. Antiq.

Antiq. lect. cap. 21. eò quod juxta *Mercur. Trismegistum* Lex divina non permittat animi humani in bestias transitum. Etsi verò suppostititius ille *Poëmandri* scriptor Animarum in *Bruta* transitum non admiserit, in *aliorum tamen hominum corpora ingressum nullatenus denegavit* quo de vid. *Kirch.* Oed. Ægypt. Tom. II. pag. 2. Class. XII. Theol. Hier. c. VII. ubi errorem illum ex malè intellectâ *Hermetis* doctrinâ promanasse egregiè demonstrat. Et certè tanto fervore dogma hoc pestiferum, (quod Religionis Christianæ jugulum petit,) neutiquam à *SS. Patribus* ita impugnatum, & veluti mortifera zizania ex agro Christiano extirpatum fuisset, si convenienti adeò explicatione excusari potuisset. Vid. *Tatian.* Orat. advers. Gentes. Iren. lib. I. c. 20. p. m. 47. 48. & cap. 24. pag. 51. seqq. adde lib. II. c. 58. *Clem. Alex.* lib. IV. Strom.

Tertull.

Tertull. lib. de Anim. c.28.31.32. Apolog. cap. 48. de Resurr. carn. cap. 1. *Hieron.* contra Ruffinum, *Chrysostom.* Hom. 1. in Johan. *Augustin.* lib.x. de Civ. Dei. cap. 30. *Cyrill.* lib. VII. contra Jul. & *Lactant.* lib. III. cap. XVIII. & XIX. de Falſ. Sapient. & lib. VII. cap.22. Qui etiam (lib. III. num. 18.) *ignoſcendum eſſe putat iis qui non ſcientiâ ſed caſu in errorem hunc inciderunt.* In quâ ſententia etiam nos acquieſcentes, *SINICÆ* quoque Genti ignoſcimus, ſi non *SCIENTIA* ſed *CASU* quandoque fuerit hallucinata.

Meliora Meliores!





ANA-

ANACEPHALÆOSIS
ALPHABETICA.

A.

C.

Chin-

D.

E.

F.

G.

H. Hadria-

H.

I.

Jukiao

K.

L.

M.

O.

P.

Q.

R.

S.

Virgi-

X.

Y

Z.

Emendanda.

Pag. 14. lin. 20. pro pag. 252. l. 242. pag. 20. lin. 8. pro xx. l. 11. pag. 30. pro lib. xi. l. vi. pag. 40. lin. 22. l. enarrato. pag. 47. lin. 4. pro pag. 1508. leg. 1408. pag. 48. lin. 15. pro c. ix. leg. 14. pag. 65. lin. 16. pro xxiv. leg. xxix. pag. 120. lin. ult. l. *Optabam*. pag. 133. lin. 18. leg. אומורת lin. 22. leg. Tybbon. pag. 142. l. 8. leg. *num Numen ipsum*.


BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA



